EPISTOLAE QUATUOR THEOLOGOMORALES P.B.P.V. ADVERSUS...

Pietro Ballerini

EPISTOLAE

QUATUOR THEOLOGOMORALES

P. B. P. V.

ADVERSUS DISSERTATOREM S. J.

SEU

CENSURA

QUATUOR DISSERTATIONUM

quae dictatae fuerunt contra Libellum Italice inscriptum: *Risposta alla Lettera del P. Paolo Segneri della Compagnia di Gesù su la materia del Probabile.*

ACCEDIT ITALICO SERMONE

CONFUTATIO

EPISTOLAE CUJUSDAM THEOLOGI ADVERSUS EAMDEM RESPONSIONEM E CLANDESTINIS TYPIS RECENS VULGATAE.

VERONAE, MDCCXXXIV.

TYPIS DIONYSII RAMANZINI BIBLIOPOLAE AD S. THOMAM.

SUPERIORUM PERMISSU.

ELENCHUS

Eorum, quae hoc libro continentur.

Praefatio ad Epistolas sequentes. *pag.* 5.

Epistola I. seu censura primae dissertationis inscriptae De ignorantia invincibili. *p.* 9.

Epistola II. seu censura secundae dissertationis inscriptae De conscientia dubia. *p.* 39.

Epistola III. seu censura tertiae dissertationis inscriptae De conscientia probabili. *p.* 60.

Epistola IV. seu censura quartae dissertationis inscriptae De doctrinis Anonymi. *p.* 89.

Confutazione della lettera d' un Teologo all' Autore della Risposta alla lettera del Padre Segneri su la materia del Probabile. *p.* 117.

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

Vendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbazione del *P. F. Lauro Maria Piccinelli Inquisitor di Verona* nel Libro intitolato *Epistolae quatuor Theologomorales Petri Ballerinii Presbyteri Veronensis adversus Dissertatorem S. J. & Confutatio Epistolae cujusdam Theologi &c.*, non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza a *Dionigi Ramanzini Stampatore in Verona*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. 23. Novembre 1734.

{ Andrea Soranzo Proc. Ref.
{ Lorenzo Tiepolo Cav. Proc. Ref.

Agoſtino Gadaldini Segret.

AD

AD LECTOREM
PRAEFATIO

UT *primum in lucem prodiit* Responsio ad epistolam P. Pauli Segnerii de Probabilitate, *quo libello ipsius sententiam luculenter refellisse quamplurimis visus sum; ea multorum invaluit opinio, fieri non posse, quin Patres Societatis, quibus tum P. Segnerii nomen, tum probabilitatis doctrina ut plurimum cordi est, variis in locis confutationes ederent, eximiique auctoris, & probabilitatis vindicias evulgarent. Ego haec inaudiens, mea caussa fretus, quam & pro veritate stare, & in defensionem veritatis susceptam noveram, nihil movebar. Inter vi unus e Societate palam professus est eruditissimo ac nobili hujus urbis homini nonnullis praesentibus, inter suos initio consultum fuisse, ut editus a me libellus refelleretur; at subinde eosdem cogitasse, P. Segnerii sententiam, cum a Societate tamquam propria adoptata non fuerit, nequaquam postulare, ut pro ea defendenda Patres Societatis laborarent. Haec quid indicent ad Segnerianae caussae infirmitatem adstruendam, aliorum judicium sit. Verum non multo post, cum annus novus scholasticus aperiretur mense Novembri, is e Societate, cui moralem Theologiam docere incumbit, Vir eximii ingenii atque doctrinae, expedito jam paucis sub finem anni superioris tractatu de praeceptis Decalogi, quem uberrima disputatione incohaverat, novum tractatum repente exorditur* de Regula interna morum; *idque quo factum consilio, triduo circiter post apparuit, quippe Responsionem ad P. Segnerium, si non typis dando, at dictando in scholis, quatuor dissertationibus impugnandam sibi proposuit, idque tanto conatu, ut in iisdem dictandis secundus annus adhuc excurrat, totusque, ut ajunt, hoc in negotio transigetur.*

Quatuor autem propositae dissertationes sunt hae: prima de conscientia erronea, altera de conscientia dubia, tertia de conscientia probabili; & in his pleraque Dissertator conatur evertere, quae in Responsione a me scripta atque edita fuere. Verum, *inquit*, cum plura spargat in suo opere Scriptor Anonymus (*ita me appellat, quod meum nomen observantiae caussa non praefixerim Responsioni, licet quis sim nemo ignoret*) quibus omnibus in dissertatione de conscientia probabili locus opportunus esse nequit, hinc ad complementum tractatus triplici dissertationi jam propositae subiicietur etiam quarta de doctrinis Anonymi.

Mirum dictu est, quantum hanc ob rem gestiant sibique plaudant hac in urbe probabilis doctrinae studiosi, ac illi praesertim, qui Patrum Societatis dicto audientes sunt. Ego vero etsi hoc biennio pluries a multis fuerim impulsus, eas dissertationes ut legerem, atque, si postularet veritas, refellerem; tamen id ut efficerem, hactenus adduci non potui. Primum movebar, quod cum quis calamum in ejusmodi scriptionibus exercet, statim vulgus suspicari solet, eum seu odio, seu invidia ad scribendum excitari, quo fit, ut caritas, quae cuique rei ab homine Christiano praeferenda est, nonnihil detrimenti capiat. Dein jamdiu mecum ipse statueram, nihil hac in controversia scribere in mei libelli defensionem, nisi quis adversus illum aliquid typis daret: quidquid enim nonnulli vel dictitarent inter se, vel mss. tantum lucubratiunculis evulgarent inter studiosos sui, id perinde habendum credidi, ac si nihil esset: & praeterea verebar, ne si ego id, quodcumque esset, palam impugnassem, rem minus gratam auctoribus facerem, quasi inviti, & ingratis adducerentur in publicum, qui aequis quibusdam de caussis publicum maxime refugerent, & in omnium conspectu ponerentur eae argumentationes, quas cum suis quidem communicare, alios autem perpetuo latere fortassis voluissent.

Sed haec omnia, quibus meus animus hactenus coercitus siluit, ab amico, cui multum tribuo, quique de memoratis dissertationibus meum judicium enixe petiit, exclusa fuere.

Ad

Ad primum enim reposuit, caritatem nihil laesum iri, si non exulcerato animo, neque mordaci stylo, sed veritatis tuendae gratia, & moderato orationis genere id judicii proferrem. Ad alterum vero quod pertinet, monuit, quatuor dissertationes, quae in scholis publicis dictatae sunt, quadraginta circiter exceptis exemplaribus, ita per urbem circumferri, ac si typis publicis editae fuerint: ut ipsi etiam Dissertatoris auditores palam professi sunt. Addidit, tandem, damnum, quod inde enasci potest, siquidem nemo respondeat, fore non exiguum; qui enim illas excepere, Clerici sunt ejus generis, qui doctrina imbibita & in confessionibus, & in docendo etiam alios haud dubie utentur.

Hisce de caussis a prima sententia, quam susceperam, decedens, sequentes quatuor epistolas ad eumdem amicum dedi, queis totidem dissertationes ad vivum resecans, meum de iisdem judicium exposui. Itaque scriptorem earumdem dissertationum primum exoratum volo, ut has meas lucubratiunculas boni consulat. Ipsum ego ex caritate diligo, atque amplector, quae omne malevolentiae consilium excludit: at eadem caritas, quae veritati non est inimica, haud sinit, ut veritatis, pro qua mihi videor dimicare, defensionem deseram, atque abiiciam; & si veritatem ipse quoque diligit, de quo nihil dubito, id factum non indignabitur. Ita quidem sicubi me a veritate declinantem, cum eam defendere arbitror, ipse fraterno docendum atque corrigendum censuerit, aequissimo animo accipiam. Si porro displiceat typographorum praelis isthaec committi, minus est id, quod ipsi contingit, ac quod olim evenit Rufini epistolae ad Hieronymum, cui licet privatim traditae S. Doctor palam respondendum credidit. Dictanda non fuerant publico in lyceo, quae publicae censurae obiicere quispiam noluisset. Tandem non solum auctorem, contra quem scribo, sed quemlibet alium ejusdem sententiae moneo, ut nullo partium studio ductus consideret cum (1) Augustino, nos hic non de gloria comparanda, sed de invenienda veritate tractare, *& de veritate quidem potissima, unde pleraeque manant, & a qua salutis aeternae periculum maxime pendet. Procul hinc ergo quaecumque ad veritatis inquisitionem op-*

(1) lib. 3. in Acad. c. 14.

poni

poni solent impedimenta , sive ex praejudiciis , sive ex studiis , atque cupiditatibus nostris ; & precibus ad Deum etiam adhibitis , ubicumque veritatem invenire continget , sive in opinione sua , sive in mea , illam teneat , pro illa decertet , nec in eo victoriam sibi constituat , si alter alterum vicerit , sed si alterum veritas vincat ; cui cedere siquis nolit , ne ab alio victus videatur , res erit & turpis & plena periculi . Ego sane hoc consilio semper ad disputandum accedere soleo ; & siquidem in hac caussa veritatem mihi adesse , ac pro ea me decertare olim professus sui , id non praeocupati animi sensu , sed apertissimis argumentis est factum , quae me vel leviter addubitare , etsi maxime voluissem , nequaquam sinebant . Cum vero quatuor dissertationes sumsi in manus , hoc praejudicio deposito , illas avide perlegi , ut si quid occurrisset vehemens ac validum , decederem a sententia , & veritati manus darem . Miratus quidem sum scriptoris subtilitatem , qua adeo peracute suam caussam tutatus est , ut facile imperitos adolescentulos persuadere potuerit . At mihi , cui Probabilistarum ratiocinationes sunt exploratae , ea lectio memoratam de tuenda veritate confidentiam , ne dum nihil minuit , sed multum adauxit ; ipsae enim quatuor dissertationes , cum non modo nihil habeant solidum , unde mea caussa vel tantillum nutet , sed praeseferant omnia exilia , & inania , queis probabilitatis imbecillitas magis magisque confirmatur , atque cognoscitur ; si de veritate meae sententiae dubitare adhuc velim , de re perspicua , atque evidenti frustra coner dubitare . Ne tamen gratis , & ad ostentationem haec dici quispiam existimet , quatuor subjectae epistolae legendae erunt . Quod si cui mira videantur , quae ex dissertationibus pronunciavero , vel recitavero , & in suspicionem veniat , me quidpiam ad conciliandam invidiam , aut mutilasse , aut detorsisse violenta interpretatione , aut confinxisse ex arbitrio : mss. exemplaria illarum Clericorum quamplurium manibus teruntur , ea inspiciat , & consulat quicumque velit , & siquid vel tantillum dolose a me gestum nancifcetur , periculum meum fuerit .

EPISTO-

EPISTOLA PRIMA
AD AMICUM
ADVERSUS DISSERTATOREM SOC. IES.
SEU
CENSURA
PRIMAE DISSERTATIONIS INSCRIPTAE
DE IGNORANTIA INVINCIBILI.

Egi dissertationem de conscientia erronea, ubi inducta quaestione de ignorantia invincibili, caput v. mei libelli fuse impetere & evertere Dissertator studet. Ut vero paucis de ea judicium feram, quod enixe postulas, tria potissimum deprehendi, in quibus ille peccare mihi visus est. *Primo* praecipuum controversiae caput, quod erat maxime considerandum, & impugnandum ab homine, qui probabilitatem sustentandam sibi sumserat, ne attigit quidem. Dein male constituit illud caput, quod probare ex proposito contendit. Tandem si quid in eo ipso capite constituisset, nihil vel parum constituisset adversum me, re autem ipsa probasset nimis. Haec tria si palam fecero, satis a me dictum putato, nec alia, quae praeterea possem reprehendere, ut ad calculos revocem, efflagitare velis.

§. I.

Dissertator potissimum caput controversiæ præteriisse ostenditur. Errores Probabilistarum, cum sequuntur opiniones falsas, cur excusari nequeant a culpa nomine invincibilis ignorantiæ, etsi veritatem illi invincibiliter assequi non potuerint.

Praecipuum propositæ quaestionis caput non ignoras fuisse in eo positum, ut pateret, num qui probabiles benigniores sententias sequuntur, si quando errent, a crimine possint excusari ob ignorantiam invincibilem. Hoc potissimum illius capitis V. consilium, hic totius fusioris ejus disputationis scopus, de quo uberrime statuisse mihi videor a §. 7. Quod si paragraphis superioribus multa disserui de ignorantia in genere, vel de illorum ignorantia, qui errant non inter opiniones controversas; hoc ad viam aliquam aperiendam, atque ad pleniorem ejus tractatus notitiam præter omnem meæ caussæ necessitatem feci: adeo ut si de hoc nihil statuissem, vel in eo me deceptum quispiam convinceret; dum stet alterum præcipuum caput, nihil laborarem. At Dissertator cum plura dictarit de ignorantia invincibili, ut eam possibilem persuaderet circa conclusiones a jure naturali remote deductas, cum de iisdem ne suspicandi quidem principium suppetit de priori potissimo capite, quod pertinet ad ignorantiam in conclusionibus controversis, ne verbum fecit quidem.

Cur autem hocce caput totum dissimularit atque praeterierit, si quaeras ex me, haud dubitem respondere, quod nihil contra dicere potuit. Lege rationum, auctoritatumque momenta mihi late exposita a § 7. & vide, num quid ad tuendos suos errores Probabilistae erroneas opiniones nonnumquam sequentes ignorantiam invincibilem afferre possint. Sane vel ipse Dissertator,

si

si sibi constet, aliter ac nos sentire non potest; siquidem ubique fatetur errorem esse vincibilem, cum incidit errandi suspicio, ne dum dubitatio; quae sane exoritur, ac exoriri debet inter opiniones utrinque probabiles, quales in controversia de probabilitate considerantur.

Sed ad hæc quispiam fortasse opponet locum ex sect. v. ubi Dissertator quaerens de diligentia adhibenda ad vincendam ignorantiam, inter alia praecepta hoc tradit; *Quod si in inquirenda veritate deprehendamus rem incertam esse, & controversam inter auctores classicos, ignorantia tum censeri debet invincibilis, & inculpabilis. Ratio est, quia cum aliqui auctores graves dicunt veritatem esse in hac, alii in altera parte, nec resciri potest, quinam verum, quinam falsum doceant; qui in tali casu ignorat veritatem, habet ignorantiam, quam vincere non potest, ideoque inculpabilem.* His autem verbis aliquid adversus nos dicere videri potest. At cum hic agamus de errore, quem sequitur amplexus opinionem benigniorem, qui sane error vel per ipsum Dissertatorem vincibilis dici debet, si de eo addubitari possit; jam nihil ad rem nostram facit id, quod de invincibili veritatis ignoratione hoc loco traditur, nihilque id est contra ea, quae nos in libello laudato fuse prosequuti sumus. Quod duplicem hanc ignorationem (a) veritatis, & ignorationem (b) erroris Dissertator numquam distinxerit, sed utramque ubique confuderit in unum atque miscuerit, eidem eum hic, tum alibi plurium aequivocationum in caussa fuit. Attigi de hoc non pauca in edito libello, sed cum ea satis non fuisse intelligam, plura hic dicenda sunt.

Deus cum nos a peccato abstinere jubet, non omnium veritatum, quae etiam sunt a principiis juris remotissimae, exploratam cognitionem a nobis postulat, sed tantum ut vitemus errorem maxime practicum, in quo culpa est. Sic ex. gr. cum vetat injustitiam usurae, non

[a] negativam in scholis vocant. [b] positivam

jubet nos assequi cognitionem omnium casuum, in quibus sit, vel non sit usura, sed praecipit, ut vitemus usurarios contractus, ac errorem fugiamus, quo justum putemus contractum, qui sit usurarius. Id autem si exequi non possemus sine explorata cognitione omnium casuum, quibus insit usura; cum nonnumquam hæ veritates particulares sine nostra culpa clam esse possint, error aliquando esse posset invincibilis, & sine crimine. At ad vincendum errorem nonne satis est, si illi non assentiamur? Ne assentiamur vero, nonne sufficit cohibere assensum? Ille ergo, qui dubitare jure potest, atque prudenter, ut evenit inter opiniones controversas, quæ utrinque gravia argumenta habent, sicuti potest assensum coercere atque suspendere, ita errorem potest vincere, etsi veritatem particularem cognoscere non possit. Dixi *veritatem particularem*, quae nimirum in controversiam cadit; quippe is adhuc inter ejusmodi angustias non omni prorsus exploratae veritatis lumine destituitur, quatenus ad veritatem practice sequendam opus est. Quamquam enim animum suspensum tenens, controversae veritatis ignarus, hanc cognoscere nequeat tamen ejusmodi dubitatione admonitus, ut tutiorem partem eligat, non eam ignorat veritatem, quam sequens, tutissime, & ex veritate operetur. Fac quis non possit deprehendere particularem veritatem, num ille contractus ex. gr. de quo quaestio est, sit usurarius. Num idcirco practica veritas, quam sine erroris periculo sequatur, pariter cognosci nequit? Immo vero ea palam est omnibus; ipsis enim etiam Probabilistis confitentibus certissime licet ab eo contractu abstinere, nullumque in eo peccandi periculum est. Etsi ergo fortassis falsa esset opinio tutior, quatenus debitum imponit abstinendi ab eo contractu, qui forte non est usurae vitio infectus. tamen per omnes est verum, quod illam sequi licet, nec

nec qui illam sequitur, errorem sequitur, sed veritatem. Itaque practica veritas, quam Deus praecipue attendit, proprie ~~invincibiliter~~ ignoratur in opinione benigniore, quae peccandi periculo est obnoxia, eo quod incertum est, liceat nec ne illam sequi: in opinione autem tutiore non ignoratur: ac proinde si quis prioris illius veritatis ignoratae praetextu hanc certissimam veritatem deserat, quomodo a culpa nomine invincibilis ignorantiae excusari aequissime poterit? Interim ad haec aliaque permulta ejusdem generis nobis fuse expressa cap. 5. nihil Dissertator reposuit, licet praecipuum quaestionis caput in hoc positum fuerit. Num vero aliis in dissertationibus hac de re quidpiam statuat, videbimus.

§: II.

Dissertator quod sibi probandum sumpserat, male probat. in conclusionibus a naturali jure remotis posse cadere invincibilem ignorantiam. Documenta ab eodem perperam allata expenduntur.

SEd eja jam videamus, quam male constituat eam ipsam rem, de qua sibi sumit disputandum. Distinguit prima, & universalia principia juris naturae a proximis, & a remotis conclusionibus, quae inde deducuntur; & dein statuit nullam quidem in primis principiis haberi posse ignorantiam invincibilem, nullam item, saltem ad longum tempus, de conclusionibus proximis; at de remotis, & obscuris haberi posse invincibiles errores indubitanter pronunciat. Si haec conclusio, quae ad remotas a jure conclusiones pertinet, perinde explicaretur, ut error, sicubi esset in his, error esset facti, non juris; non multum repugnaremus. At cum errorem ejusmodi esse errorem juris

juris invincibilem adversus nos contendat, istud est, in quo ejus conclusio displicet. Conclusionem vero ut probet Dissertator, primo nonnulla pro se documenta affert, tum reiicere studet argumenta, quae a me contrariam in sententiam allata fuere: sed utrumque male. Veterum testimonia, & rationes ex iisdem deductae, unde nos quemvis errorem juris naturae universim culpae vertendum ostendimus, adeo sunt explorata, ut nisi quae exploratiora producantur monumenta, aliter sentire, & aliorsum illa testimonia, illas rationes interpretari non liceat. Dissertator autem nihil pro se exploratius attulit, quo suam sententiam statueret, sed leviora multo, inania, manca, ac violenter exposita, & nihilominus ex his quasi ex documentis certissimis reliqua omnia aliter, ac ipsa verba patiuntur, explicare & explicanda contendere non erubuit. De documentis ab ipso allatis primo cognoscamus.

Suae sententiae auctoritatem imprimis conciliat affirmando illam esse *communem* intelligit, opinor, communem inter recentiores, nam de veteribus sui quoque aevi scribit Gerson: *Concors est sententia nullam in his, quae legis divinae sunt, cadere ignorantiam invincibilem*, ut notavi cap. 5. §. 2. cum quo pulcre concinens ipse Vasquesius fatetur in 2. p. disp. 122. c. 1. antiquos omnes Theologos idipsum sensisse. Cur id dissimulavit Dissertator? Quamquam etsi recentiores appellare voluit, cum tamen dixit *communem*, cave ne id verbum stricte accipias pro omnibus recentioribus; nam ex his plures sunt maxime insignes contrariae sententiae patroni, quos num ille nec legit unquam, nec novit? Siquis urgeat, catalogum alia occasione dabimus. Sed hac nominis fallacia, quae incogitanter potuit excidere, praetermissa, ad potiora accedamus.

Primum testimonium est S. Thomae, qui 1. 2. q. 100.

a. 1.

Digitized by Google

a. 1. quaedam fatetur in humanis actibus esse adeo obscura, ut *ad eorum judicium requiratur multa consideratio multarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet, sed sapientum*. Et paulo post distinguit ea legis naturae, quae statim ratio assequitur, ab iis, *quae subtiliori consideratione rationis a sapientibus judicantur esse observanda*. Dissertator affirmans hanc S. Thomae sententiam esse *ipsissimam* cum sua, se inde satis praesidii suae caussae nactum putat. Sed etsi S. Doctor eo loci quasdam juris naturae conclusiones ita obscuras tradat, ut illas imperiti assequi per se haud facile queant, eaedemque, ut mox addit, *indigeant disciplina, qua minores a sapientioribus instruantur*: numquid idcirco errorem, siquis interveniat, sive apud doctos, sive apud rudes, omni vel levi culpa vacare ibidem affirmat, ut Dissertatoris sententia postularet! Nonne quodl. 8. art. 13. cum agit de culpa eorum, qui errant sequentes opinionem erroneam Magistrorum, docuit eos, etsi se haud errare putent, in culpa esse, *nec excusari propter conscientiam*? & quodl. 9. q. 7. art. 2. hos, qui perinde errant, nonne excusari docuit non *a toto, sed a tanto*? Haec, quae adeo sunt explorata, quomodo stare cum priori testimonio possent, siquidem S. Thomas ibi ignorantiam omnino invincibilem & inculpabilem affirmare voluisset? Quamquam vero difficilem captu earum conclusionum notitiam Doctor Angelicus ibidem declaravit; non tamen de invincibili, ac inculpabili errore quidquam constituit, ut factum est duobus aliis in locis, ubi id ex proposito definivit. Neque ille locus obest, siquidem primo sapientioribus nihil tribuit excusationis, quos posse per se dijudicare eas difficiles conclusiones arbitratur; imperitos autem sapientiorum doctrina posse instrui tantum monet. Si vero vel illi dijudicando, vel isti discendo errorem imbibant, atque sequantur, num proinde errantes in culpa sint, & quanam in culpa, non

ea

ea quaest. 100. sed in quodl. constituendum suscepit. Vide ergo quam male Dissertator testimonium ex quaest. 100. in rem suam adduxerit, atque inde alia quodlibetorum testimonia exploratissima interpretari, aut potius violenter distrahere tentaverit. Hoc quoque loco, ut monui superius, tota aequivocationis ratio, quae Dissertatorem fefellit, in eo posita est, quod ipse, qui multa belle distinguit, numquam distinxit quod maxime oportebat, veritatis ignorantiam ab ignorantia erroris, qui circa jus versatur, & unam sine altera posse esse invincibilem nequaquam suspicatus est. Haec autem distinctio si illi venisset in mentem, S. Thomam, qui hisce testimoniis secum pugnare ipsi est visus, adeo ut explicanda duxerit altera ex altero, commode posse conciliari cognovisset quest. enim 100. 1. 2. de ignorantia plurium veritatum, quae a principiis longissime absunt, eum loqui patet; in quodlibetis autem de erroris ignoratione. Illam ne dum in imperitos, sed in sapientes etiam sine ulla culpa posse cadere, neque S. Thomam negasse uspiam crediderim, neque ego umquam inficiatus sum. Hinc autem non continuo sequitur, posse item cadere in quempiam invincibilem ignorantiam erroris circa jus naturale. Cum enim ad vincendum errorem cognitione explorata veritatis particularis opus non sit, sed sufficiat posse cohiberi assensum, & ad hunc cohibendum satis suppetat facultatis, siqua errandi suspicio effulgeat in eam rationem, quam exposui cap. 5. & ipsorum adversariorum definitione confirmavi, qui pariter vincibilem eam juris ignorantiam tradunt, quae errandi suspicionem habet. jam frustra quispiam probet invincibilem veritatis ignorantiam, ut errorem probet invincibilem. Itaque S. Thomas etsi quest. 100. ignorantíam particularium quarumdam veritatum juris naturae affirmarit invincibilem, potuit nihilominus in quodlibetis erroris ignoratio-

rationem tradere culpabilem, atque proinde vincibilem, ut ne sibi contradiceret.

Neque magis probat pro Dissertatore testimonium Augustini ex lib 1. de Serm Domini in monte cap. 29. ubi cum narrasset, quemdam virum uxori uti ferebatur, permisisse, ut sui copiam faceret cuidam diviti, qui pollicebatur se erogaturum, quidquid ad vitam, ac libertatem ejusdem viri aere alieno oppressi redimendam opus erat: permisit autem hac erronea ductus ratione, *nullo modo judicans*, inquit Augustinus, *adulterium esse concubitum, quod libido nulla, & magna mariti caritas se jubente, & volente flagitaret*: dein narrationem claudens ait. *Nihil in alteram partem disputo, liceat cui ue aestimare quod vult: quibus profecto verbis*, subdit Dissertator, *numquam usus fuisset Augustinus, si possibilem negasset, ut vult Anonymus, ignorantiam invincibilem circa aliqua, quae sunt juris naturalis*. Haec consequentia multipliciter labitur. Primo ea cum scripsit S. Doctor, nondum fuerat Episcopatu initiatus. nondum in Pelagianos ignorantiae patrocinantes calamum strinxerat nondum de ignorantia ex proposito disseruerat, ut contigit iis in locis, quae allegavi cap. 5. § 1. Quis autem nesciat S. Doctorem speciali lumine illustratum, cum ad Episcopatum evectus est, quod illum Deus ad Pelagianorum errores profligandos, & ad doctrinam de divinae gratiae auxiliis explanandam praecipue elegerit? Itaque etsi quid opponeretur nobis in allato testimonio, nonne ex aliis locis explicandum, vel corrigendum? Fallitur ergo Dissertator, qui cetera testimonia hinc potius explicanda videtur innuere. Dein quid est, rogo, quod ibi nobis opponatur? *Nihil in alteram partem disputo, liceat cuique aestimare quod vult*. Num qui nihil ea in quaestione vult definire, cum nondum quaestionem de ignorantia tractaverit, ignorantiam eo in casu affirmat invincibilem? Permittit, inquies, aliis sen-

C tire

tire quicquid placeat. Quid inde? Num haec permissio ignorantiam omnino a culpa, an gravi solum a culpa excusantem ad summum arguit? Sed cum ibi S. Doctor de ignorantiae culpa non ageret, per ea verba non aliud voluit indicare, quam quod neque ejus loci, neque consilii sui esset in eam disputationem a suo proposito alienam ingredi. Vide quot ex capitibus hoc testimonium male afferatur. Haec tamen duo S. Thomae, & S. Augustini testimonia sunt ea, quae Dissertator unice recitat.

Addit porro in confirmationem multos errores cum Ethnicorum sapientum, tum Scolasticorum, tum aliquot etiam nonnullorum Patrum, qui vel honestas habuerunt res jure naturae prohibitas, vel in controversiis ejusdem ordinis contrarias sequuti opiniones, alterutri errasse convincuntur. Longum ejusmodi controversiarum catalogum texit, & argumentum inde aggravans, haec scribit inter cetera. *Si illi Patres, sic opinando erarunt, errando peccarunt; & si erarunt in materia gravi, graviter peccarunt; & denique cum opinionibus ideoque erroribus suis probabiliter immortui sint, probabiliter etiam damnati sunt, quod nefas est cogitare.* Qui sic loquitur, vel meam sententiam non intellexit, vel alios intelligere non sinit. Legendum mei libelli caput 5. §. 6. indeque plana solutio deducetur. Error in viris Sanctis, & piis, immo in iis, qui probabilissimam sententiam sequuntur, etsi in materia gravi, grave peccatum non gignit, sed leve. Sanctos autem ob ignorantiam leviter peccare potuisse siquis inficiari velit, aut cum Dissertatore nefas putet cogitare; is peregrinus est in Theologia, & Tridentinae Synodi ignarus. Gravem vero culpam Dissertator inculcavit eo nomine, quod error circa gravem materiam versetur. Sed gravis licet materia, tamen cum error sit *levis*, culpa gravis esse non potest. Tum error inadvertentiae aequiparatur, quam, *si levis sit*, a gravi

a gravi culpa liberare etiam in gravi materia nemo inficias ibit. Simili ratione respondemus aliis confirmationibus, queis judices, consiliarios, confessarios, cum errant sequentes opinionem probabiliorem, mortaliter peccare Dissertator contendit, siquidem ignorantia crimine non careat. Quod porro addit illos in mea sententia semper peccare, cum id munus exercent, eo quod se errandi periculo exponant, facile diluitur. Qui probabili errandi, & peccandi periculo se exponit, is quidem eo ipso peccat, etsi non erret. Id contingit cum inter probabiles sententias, quae non convincunt animum, quispiam ei parti adhaerere velit, quam probabiliter falsam cognoscat: ex quo enim gravia deprehendit documenta, quibus probabile est actionem non licere, procul dubio peccat, dum relicta tutiori parte tanto periculo se exponit. Hoc autem valet adversus Probabilistas, et hoc de argumento apud Dissertatorem summum silentium. In nostra autem sententia, quae eam partem probabiliorem tuetur, cui nullum grave errandi argumentum opponitur, probabile periculum, quod teneamur evitare, nullum apparet. Periculum modo remotum esse potest, cujusmodi pericula siquis subculpa crederet evitanda, ex hoc mundo, ut cum Paulo loquar, egredi deberet. Porro id periculum ubi inciderit cum errore, erit culpa levis, non gravis, ut ex dictis liquet, & praeterea non in eo erit situm, quod probabiliorem sententiam sequuti simus, vel probabilissimam (id enim prudens est, quod autem est prudens, culpa vacat,) sed in eo quod aliqua levi culpa probabiliorem, seu probabilissimam induxerimus eam sententiam, quae falsa erat. Itaque perperam peccatum grave adstruitur in sequentibus opiniones probabiliores, vel probabilissimas, etiam cum verae sint: idque ad horrorem inijciendum adversum nos per industriam, sed injuria factum patet. Haec, quae

haſtenus attigi, in libello fuſe explicata, & probata invenies.

Demum concludit Diſſertator documento, quod puſillis magnum metum incutiet. *Ex his omnibus*, inquit, *aliiſque pluribus, quae afferri poſſent, colligitur, inter articulos ab aliquibus Theologis Lovanienſibus in Collegio Adriani propugnatos die 12. Julii, & Romae, ut refert Delacroys, confixos die 8. Auguſti ann. 1685. hunc etiam, qui ordine eſt tertius, merito eſſe confixum.* Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturae in nullo homine, dum hic & nunc contra jus naturae agit: *qui articulus, ut videtis, eſt ipſiſſima Anonymi doctrina.* Itane indubitanter eam theſim Romae confixam prodit? Quid Delacroyſium appellat, quando exſtant publicae tabulae? Lege Indicem librorum prohibitorum verbo *Theſes*, ubi libellus theſium eorum Theologorum, in quo ea theſis continetur, die & anno eodem per Decretum Congregationis Sancti Officii prohibitus traditur. Qui porro Romanae conſuetudinis in proſcribendis libris eſt peritus, novit quidem libros nominatim interdici, cauſſam autem, cur interdicantur, non proferri. Itaque quis inde jure colligat, tertium articulum, & non alium aliquem, fuiſſe proſcriptum? Num cum quid prohibetur, omnes ibidem expreſſae theſes interdictae judicantur? Num ſapientiſſimi illi Patres proſcribendam cenſuiſſent theſim, quam Theologi omnes antiqui & plures etiam ex recentioribus acerrime defenderunt? Num ſi ejuſmodi proſcriptio eum articulum impetiſſet, Theologi poſteriores doctiſſimi eamdem theſim propugnaſſent? Sed haec & ejuſmodi argumenta nemo facile niſi apud quoſdam Caſiſtas inveniet, apud eos, inquam, Caſiſtas, qui vel critices artem non admodum callent, vel non multum laborant in dijudicanda fide teſtium, quos allegant, putantes alios ſibi fidem daturos eadem facilita-

te

te, qua ipsi forte aliis quibusque Casistis credunt.

§. III.

Quam inaniter Dissertator documenta a me allata refellere conatus sit.

HActenus documenta, quae pro se Dissertator producit; quae si adeo imbecillia, quis non videat, male eum contendere explicanda ea apertissima testimonia, quae ego consideranda proposui §. 1. Recensitis ergo sectione 6. objectionibus, quae adversus aliquot theses ab se positas afferuntur, ponit secundo loco testimonia, quae ego ex Augustino, Bernardo, ac Thoma potissimum inculcavi. Multis quidem ad ea explicanda responsionibus utitur: at omnia eo recidunt, ut supponant semper, quod antea probandum fuerat, aliquas juris naturalis conclusiones ita posse ignorari, ut nulla errandi suspicio haberi queat. Id si statuisset, ac probasset evidenter, nihil esset reprehendendum. At cum non probaverit nisi perperam, ut ex dictis liquet; quaecumque agglomeravit ad respondendum, falsa suppositione innixa nihil valent. Sed responsiones ipsas ad vivum resecemus.

Augustini textus a me descriptos triplici responsione elidit; primo petens, quid respondeam Jansenio proferenti ex Augustino eosdem omnino textus, ut probet ignorantiam juris naturae etiam invincibilem, tamquam culpabilem debere admitti: dein contendens eos textus, siquid valeant, probare de ignorantia etiam juris positivi, quam tamen inculpabilem & invincibilem nonnumquam esse concessimus: tandem directe respondens, ibidem Augustinum loqui de ignorantia, quae ex aliqua culpabili negligentia sciendi progignitur. Sequitur porro: *Unde autem probat Anonymus,*

quod

quod circa aliqua spectantia ad jus naturae praeter ejusmodi ignorantiam culpabilem non sit possibilis ulla ignorantia inculpabilis? perinde ac si ipse possibilem probasset, ego autem nullo modo. Eaedem fere sunt responsiones ad S. Bernardum & S. Thomam. Nunc ad singulas. Quid ipse respondeam Jansenio? Idipsum plane, quod Dissertator aliis Jansenii objectionibus eadem sectione reposuit, nimirum agi in iis Augustini testimoniis de ignorantia vincibili, seu de ejusmodi ignorantia, quae cum errandi suspicione, & aliquo conscientiae remorsu conjuncta semper est. Ejusmodi autem dico omnem ignorantiam juris naturae. Porro unde id probem, palam est ex iis Patrum testimoniis, quae ita universim loquuntur de ignorantia, ut omnes casus complectantur, excludant nullum. Cum ergo de ignorantia vincibili, atque culpabili ea testimonia contra Jansenium accipienda sunt, culpabilis autem nequit esse ignorantia, quae vinci non possit, nullamque involvat suspicionem mali, ut alii eorumdem Patrum textus abunde demonstrant, tum vero in omnibus juris naturae casibus vincibilem atque culpabilem esse ignorantiam, nisi quid ex adverso cogat, concludendum est. Videri quidem potest, eos textus ita generatim loqui, ut eadem ratione omnes etiam casus juris positivi debeant includi, quemadmodum Dissertator monuit. & si nihil urgeret, idem de his quoque dicendum esset, ac de jure naturali statuimus. At alii Patrum textus produnt, aliqua juris positivi & facti posse ignorari invincibiliter, & idcirco priores textus ad solum jus naturae coarctandi sunt. Siquid aeque cogens a Dissertatore allatum fuisset pro vindicandis nonnullis erroribus juris naturae, rursus & in jure naturae novi vincibilis ignorantiae limites constituendi essent. At si nihil ejusmodi vel ego repererim, vel Dissertator attulerit, quid laudatis Patrum testimoniis vim infera-

ferámus, ut adstruatur alicubi ignorantia invincibilis juris naturae? Legantur ea iterum in edito libello cap. 5. §. 1. & hanc vim haud pati posse omnes intelligent. De Augustino nihil dico. Sanctus autem Bernardus loquitur de errore viri boni & pii, in quo sane (si quo in homine potest dari) admittatur oportet invincibilis ignorantia, cum agit ex bona fide. Si ergo vel in hoc, qui praeter ceteros diligentiam adhibuisse censetur ad veritatem inquirendam, S. Doctor errorem affirmat culpabilem atque vincibilem, quis speret inculpabilem, & invincibilem futurum in aliis, quos minori usos diligentia probabilius est? Quod si ibidem bonum appellat oculum, qui falli potest, ea bonitas ad erroris culpam eludendam nihil valet. Quippe cum dici nequeat, idem opus a Bernardo appellari & bonum, & malum; notavi eodem capite § 6. bonitatis rationem cadere in pium illum affectum, qui ex zelo, & veritate manat, non in errorem, qui ex aliqua negligentia, atque culpa progignitur. In epistola vero ad Hugonem, quam pro se laudat Dissertator, Bernardus vel culpabilis ignorantiae caussas omnes non recitat, vel potius ad aliquam earum semper refertur, quae aliquem juris naturae errorem parturit. Testimonium S. Thomae ex quodlibet 8. a. 13. male exponitur, ex quodl. 3. a. 10. ubi explicaturus quinam in fidei, ac morum doctrina sequentes opinionem erroneam alicujus Magistri non excusentur ob ignorantiam, scribit. *Qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturae testimonium, seu contra id, quod publice tenetur secundum Ecclesiae auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari*. quae verba a me vel incuria legendi, vel callide omissa Dissertator queritur. Sed quid afferrem testimonium, quod nec pro me esset, nec contra me? Bene quidem ibi S. Thomas gravis erroris accusat eos, qui vel contra evidens Scripturae testimo-

ſtimonium, vel contra id, quod tenet, & docet Ecclesia, aliquid credunt, aut ſequuntur. At numquid inde probatur, alios omnes errores, qui nec contra evidens Scripturae teſtimonium, nec contra Ecclesiae doctrinam eſſent, culpa vacare? Nonne peccaret, qui contra evidentem rationem quidpiam ageret? Nonne peccarunt Gentes, quae neque Scripturam Divinam ſciebant, neque Eccleſiam cognoſcebant? Ipſe Diſſertator nonne aliam addit peccandi cauſſam, ſi ratio aliqua eſſet dubitandi, quae ſtudio & diligentia ſuperari poſſet? Cum ergo non omnia culpabilis erroris capita S. Thomas ibidem recenſeat, quid afferrem hoc teſtimonium, quod nihil pugnat contra me? Quomodo vero inde a Diſſertatore probabitur, errorem, qui ſit contra legem, licet non ſit contra conſcientiam, a culpa excuſare, ſi non ſit contra Scripturam, vel auctoritatem Eccleſiae; cum per alium locum quodl. 8. a 13. pateat, errorem ad culpam pertinere, ſi ſit contra legem, etiamſi contra conſcientiam non ſit? Adde quod eodem quodl. 3. a. 10. non proprie S. Doctor affert ea verba, ut explicet, qua de cauſſa peccent, qui ſequuntur opiniones erroneas; quaſi tum ſolum peccetur, cum vel Scripturae aperto teſtimonio, vel auctoritati Eccleſiae contraitur. ſed ea verba poſuiſſe videtur rationem daturus, cur peccarint graviter, qui Arium, Neſtorium, alioſque Haereſiarchas ſequuti fuere. Ceterum in propoſita ibidem quaeſtione non de his ſolum agebatur, ſed *de auditoribus diverſorum Magiſtrorum tenentium diverſas opiniones*, ubi non haereticos tantum, ſed vel Catholicos Magiſtros, ac Doctores includit, qui ſane contra Scripturam, aut Eccleſiam nihil tradunt. Equidem in ſolutione docet, ſi ii Doctores nihil tradant contra fidem, aut bonos mores, cum culpa eſſe liberum, qui illos ſequitur, quod in his valeat

illud

illud Pauli: *Unusquisque in suo sensu abundet*. *In his vero*, addit, *quae pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri: in talibus enim ignorantia non excusat*. Loquitur ergo non solum de rebus fidei, in quibus Haeretici contra Scripturae atque Ecclesiae auctoritatem pugnant, sed & de rebus morum, utique ad naturalem legem pertinentium, in quibus (in quaestionibus praesertim inter Doctores controversis, quas proposita quaestio S. Thomae potissimum appellat) nihil identidem est definitum vel in Scripturis, vel ab Ecclesia: & cum in his non admittat valere illud Pauli; *Unusquisque in suo sensu abundet*, immo tradat nullum excusari, si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri, quis hoc testimonium ad Haereticos Scripturam & Ecclesiam impugnantes tantum detorqueat, nolitque illud perinde accipere, ac si S. Thomas tradiderit, in jure naturali ignorantiam nullo modo excusare? De reliquo ut veniam ad quodl. 8. a. 10. ibi S. Doctor loquens de possidente binas praebendas, haud profecto loquitur de casu, in quo tum esset aliquod evidens Scripturae testimonium, aliqua Ecclesiae definitio; & tamen cum ibidem tradat, sequentem erroneam opinionem Magistri non excusari propter conscientiam; jam liquet fuisse ejus sententiam, errorem contra legem a culpa nequaquam eximere, etiam cum opinio cujuspiam sit ejusmodi, ut *non inveniret aliquid, quod eum moveret ad hoc, quod sit illicitum*. Dices fortasse hunc locum probare, quod cum ea quaestio ad jus positivum pertineat, hic etiam nullum vincibilis ignorantia locum habeat. At praeter quam quod ad naturale jus quaestio illa de pluribus praebendis aliqua ratione fortasse pertinet, S. Thomas loquitur in casu, in quo illa quaestio agitata inter auctores sciatur, id quod satis indicat eum loqui, cum ex oppositis Doctorum sententiis aliqua errandi suspicio debuit incidere; quae

suspicio semper adesse credenda est in rebus spectantibus ad jus naturae, ut praeter testimonia Patrum, ipsa Theologica ratio, quam proposui §. 3. plane confirmat, cui tamen rationi Dissertator nihil solidum reposuit, nisi supponendo, quod numquam probavit, nullam in jure naturali, perinde ac in factis & jure positivo, posse nonnumquam incidere erroris suspicionem.

§. I V.

Etsi Dissertator probasset, posse haberi ignorantiam invincibilem in conclusionibus a jure naturali remotis, non tamen probasset eam esse ignorantiam juris, ut ipsi probandum fuerat. Ostenditur eam futuram ignorantiam facti.

SEd fac Dissertator probarit, quibusdam in circumstantiis valde remotis a primis principiis juris naturae posse aliquando nullam culpae suspicionem cadere; numquid probasset contra me? parum admodum, vel potius nihil. Parum, inquam, siquidem §. 5. aperte affirmavi me in eo non magnopere repugnaturum, si quis Patrum testimonia, quae attuli, interpretari commode potuisset. *Che se pur ti paresse non impossibile, che altresì nelle rimote conseguenze del gius naturale aver si potesse ignoranza incolpevole; quando si spieghino senza violenza i passi de' sudetti PP. io non ripugnerei punto.* Hinc praetermissa hac conditionata quaestione, de qua valde laborandum non duxi, illud solum absolute, & indubitanter pronunciavi: *Checche sia di ciò, dove si abbia qualche indizio di male, per cui si possa temer di errare nello stimar lecita alcuna azione, come v'è quanto basta, acciocchè l'errore, o sia l'ignoranza con le memorate diligenze si possa vincere, così non potrebbe dirsi invincibile.* Parum ergo contra me probasset Dissertator, qui conditionatam propositionem refellisset, absolutam autem nihil

atti-

attigit. Cum porro post priora verba initio paragraphi recitata statim subjecerim: *Ma ciò sarebbe lo stesso, che credere, che in tali conseguenze nè pur sospetto di errore aver si potesse, onde questa ignoranza si ridurrebbe ad un' ignoranza non di gius, ma di fatto (la qual da' suddetti PP. si riconobbe possibile) o sia ad un' ignoranza incolpevole di quelle circostanze di fatto, dall' avvertenza delle quali si avrebbe avuto qualche sospetto dell' errore e della malizia*. nonne verius nihil adhuc Dissertator probasset contra me, si vel in eam conditionatam propositionem quidpiam probasset? Etenim palam licet fecisset, quod multo conatu contendit, quibusdam in casibus nullam criminis suspicionem inesse; num ea argumenta ignorantiam ejusmodi, juris potius, quam facti ignorantiam esse demonstrassent? Facti ego futuram contendo, quippe quod sit ignorantia quarumdam circumstantiarum facti, e quibus juris notitia, vel suspicio eluxisset: juris autem ignorationem eam esse nemo persuadeat, nisi quis in casibus, de quibus loquimur, nullam facti latere circumstantiam probarit. Ipse quidem Dissertator capite primo ignorantiam facti definiens, illam esse ait, quae versatur *circa rem, vel circumstantiam rei, ex qua dependet, quod res sit licita, vel illicita*. Cum ergo ubicumque detur invincibilis ignorantia, aliquae facti circumstantiae, e quibus juris cognitio pendet, sint occultae; ea vel secundum ipsum Dissertatorem facti, non juris ignorantia dicenda est. Quid hoc contra me? Id autem quatenus sit verum, nunc planius explicandum arbitror.

Si jus naturale proprie versari circa quaedam universalia principia, conclusiones autem, quas vocant, maxime remotas, seu casus particulares, non ad jus, sed ad facti circumstantias pertinere affirmem, nemo jure reprehenderit. Quamdiu enim in his conclusionibus obscuris argumentando non devenimus ad prima explora-

plorata principia, semper in iisdem clam est aliqua facti circumstantia, ex qua priorum principiorum connexio aut illatio eluceret & si tum quispiam ignoret, quid liceat, vel illicitum sit, non ex ignoratione juris, quod per se claret, sed ex circumstantiae ignoratione illud ignorabit. Equidem jus naturale aliquid prohibens definitur, *recta ratio cordibus nostris a Deo inscripta docens aliquid illicitum*. Sic injustitia, seu inaequalitas in contractibus, quam, si voces rite percipiantur, recta ratio interdictam monet, jure naturali prohibetur. Porro haec recta ratio, seu hoc jus naturale injustitiam prohibens, per se non designat ullos contractus particulares injustos; sed cognoscere quinam in particulari justi sint, quinam injusti, a circumstantiis ipsorum pendet, quae ad factum, non ad jus spectant. Idem contractus, qui cum una circumstantia facti justus esset, sine illa fit saepe injustus, & vice versa. Id ergo cum pertineat ad factum, cognitio seu ignorantia injustitiae particularis contractus factum similiter spectat. Itaque si contingat, ut quis aliquem contractum injustum nesciat; non continuo jus ignorare dicendus erit, sed facti circumstantiam, a qua injustitiae cognitio pendet. quo facti errore fiet nonnumquam, ut is etiam, cui exploratissimum sit illud jus naturale quamcumque injustitiam prohibens, eam circumstantiam, in qua injustitia ejus contractus sita est, ipsumque proinde contractum injustum nesciat. Ita si qui usurarium contractum invincibiliter existimant justum, seu non usurarium, non ideo errant, quod jus ignorent interdicens injustitiam, ob quam usura jure naturali prohibetur, sed eo in contractu non deprehendunt illam circumstantiam, quae injustitiam, aut inaequalitatem usurae contineat, atque subindicet, quam si deprehendissent, statim injustitia ejus contractus illuxisset. Neque opponas ejusmodi hominem, cui exploratum sit jus naturale

rale injustitiam vetans, non tam ignorare facti circumstantiam, a qua eo in contractu pendet cognitio injustitiae, sed etiam ignorare legem interdicentem usurarios contractus, siquidem usuram eo in contractu inesse fateatur, usuram vero esse peccatum ignoret invincibiliter. Neque, inquam, id opponas; nam aperta aequivocatio hic latet, ob quam usura ab injustitia sejuncta jure naturali interdicta supponitur. Usura, quae est *lucrum ex mutuo*, jure naturali interdicitur, propterea quod injustitiam continet. Fac sane nullam injustitiam contineat, quis illam jure naturali prohibitam affirmet? Divino, aut bumano posset jure interdici, naturali non posset. Si ergo usura ob injustitiam prohibetur jure naturali, hoc jus non aliud probibet in usura, ac in usurariis contractibus, quam injustitiam. Quod si injustitia ejusmodi contractuum speciali nomine dicitur usura, hoc non ad jus naturale pertinet, sed ad distinctionem hujus particularis injustitiae ab aliis aliorum contractuum. Cum vero banc distinctionem nominis non naturale, sed humanum jus induxerit (adhuc enim interdicta esset jure naturali injustitia eorum cootractuum, qui usurarii dicuntur, si nullo proprio ac speciali nomine *usurae* iodncto, *injusti* tantum dicti essent) jam patet non usurae nomen per se, sed injustitiam usurarii contractus jure naturali probiberi. Itaque ille solum jus naturale ignoraret, qui perceptis circumstantiis injustitiae in ejusmodi contractibus, eos adhuc licitos judicaret, quod vetitam nesciret injustitiam: qui vero injustitiae circumstantias non advertens in aliquo contractu, qui dicitur usurarius, eum licitum putat, non proprie juris naturalis, sed facti ignorantia laborat. Hoc exemplis propositis clarius eluceret; at nimis iremus in longum, & facile quisque attentius coosiderans, per se id ipsum praestabit. Stet ergo, quod siqua ignorantia invincibilis

possit

possit contingere in conclusionibus a jure naturali remotis, ea non juris, sed facti ignorantia appellanda est. & hac forte ratione veteres Scholastici universim tradidere, ignorantiam juris naturalis semper esse vincibilem, nempe quia jus naturale in eam sententiam, quam dixi, stricte acceperunt, conclusiones autem remotas ad facti ignorationem retulere.

§: V.

Dissertator nimium producit invincibilis ignorantiae limites.

SEd his omissis videamus, num Dissertator, qui parum, vel nihil potius adversum me probasset, si probasset quidpiam; num, inquam, nimis vere probarit contra se. Qui ejus thesim separarim legit, posse ignorari invincibiliter conclusiones a primis principiis juris valde remotas, intelliget, opinor, posse ignorari culpam aliquot actionum, in quibus circumstantiae, quae juri opponuntur, ita sunt implexae atque obscurae, ut considerationem facile effugiant. At quos casus ad hasce remotas conclusiones referat, ex ipsius verbis accipe. Probaturus ergo conclusionem tertiam, quae versatur circa conclusiones remotas a jure, haec habet cap. 1. sect. 1. *Probatur denique assertum tertium, in quo est praecipua difficultas; quia ex mutuo usuram & lucrum exigere, proprias injurias ulcisci, plures uxores habere, repudiare uxorem legitimam, furari ad succurrendum egenis, surripere aliquid amico, tyrannum occidere propria auctoritate, ad scortum accedere, mentiri propter salutem alterius, vel ob malum gravius cavendum, carnibus humanis vesci, metu mortis mali aliquid committere, sororem in uxorem ducere, & alia ejusmodi mala juri naturali contraria, licet ex principiis per se notis deducantur; cum tamen non deducantur immediate & clare, sed mediate tantum, & per discursus difficiles, & illationes multas, dubitari*

non

Digitized by Google

non potest, quin ad ea sic deducenda opus sit magna rationis intelligentia, qua multi carent absque culpa. Puderet haec retulisse, nisi Dissertatorem puduisset dictare. Mitto dicere de injustitia usurarum, de mendacio ad salutem alterius, & de aliis nonnullis, quae majorem difficultatem habere queunt: at proprias injurias ulcisci, metu mortis temporalis malum aliquod culpae committere, accedere tandem ad scortum, seu fornicari, quis usquam conclusiones a jure remotas dixerit, in quas cadere possit invincibilis ignorantia? Sane de fornicatione haberi posse invincibilem ignorantiam aperte negat non tam S. Thomas 3. p. q. 80. a. 4. & quodl. 8. art. 15. sed S. Johannes Chrysostomus, qui hom. 12. *de statuis* ad populum Antiochenum, ut probaret exemplis legem naturalem cuipiam latere non posse, fornicationis exemplum produxit, ac si ejus prohibitio ex exploratioribus legis naturalis praeceptionibus sit. Deus, inquit, *conscientiam nobis expressit, & a nobismetipsis intus traditam esse voluit bonorum & contrariorum scientiam: non enim opus habemus discere, quod malum est fornicari, & bonum continentia, sed ab initio hoc scimus.* Idipsum prodit hom. 13. ibique rationem praeterea affert ex verecundia, qua fornicarii honestiorum hominum intuitum verentur, unde satis monemur, eam ab honestate procul esse. Verecundiam autem qui cum Dissertatore neget culpae indicium, is opus est Deo ipsi succenseat, qui ex verecundia Adae, ab quam pudenda texerat, ipsum patrati criminis reum convicit. Hoc ergo primum culpae indicium insitum a natura, cum de rebus praesertim venereis agitur. Quod si quos pudet etiam actus conjugalis honesti, in quo nemo modestus se ab aliis conspici sinet id evenit non quod pudeat actus honesti, sed quod pudet criminis, quod patraret, si palam eum actum, per se licet honestum, exercens, intuentibus scandalum ingereret. Scite ergo S. Johannes Chrysostomus ex hac vere-

verecundia, quae fornicationem commitatur, naturalem fornicationis malitiam arguit. Sed quid S. Thomam, quid S. Johannem Chrysostomum appellavi, ut probarem fornicationis culpam non posse ignorari invincibiliter? Nonne Paulus ep. 1. ad Cor. cap. 6. apertissime definivit, nemini fornicario caelum patere? At si de fornicatione haberi posset invincibilis ignorantia, posset simul fieri, ut quispiam fornicarius id mali invincibiliter ignorans in caelum abiret, si nihil aliunde prohibeat. Haec tamen thesis de fornicatione Dissertatori non excidit: quin in consequentibus arguendi gratia, ut ait, illam, *si fiat ex mutuo consensu, & adhibita prudenti cautione pro honesta educatione prolis*, solo positivo jure vetitam statuit argumento adeo efficaci, ut fateri non ambigat, *argumenta, quae proferentur ab adversario pro naturali repugnantia fornicationis cum natura rationali, plausibilius, & intelligibilius solvi posse, quam nuper adductum pro non repugnantia*: unde concludit: *Quid igitur mirum si homini prorsus rudi, & aliunde non instructo nihil occurrat, unde suspicetur, fornicationem in casu proposito repugnare naturae rationali, ut tali, seu illicitam esse etiam seclusa prohibitione divina, cum nonnisi aegerrime probari id possie adversarius quamvis doctus, & in scientiis versatus?* Neque solum fornicationem iis cautionibus circumseptam, sed & mollitiem posse per invincibilem ignorantiam excusari a peccato duxit, quod illam Caramuel naturali lege non interdictam docuerit: *quo posita*, inquit Dissettator, *sequebatur voluntariam pollutionem in aliquo casu non solum licitam esse, verum etiam obligatoriam, quando scilicet ad vitam conservandam judicio medicorum esset praecise necessaria; tunc enim praeceptum naturale conservandi vitam praevaleret praecepto positivo voluntariae pollutionis prohibitivo*. Et postea concludit: *In quibus erga re ipsa decepti sunt viri singulari ingenio & doctrina praediti, cur dubitemus bona fide, adeoque invincibiliter errare posse rudes, & indoctos ex. gr. pueros, quorum nonnulli grandiores facti Confes-*

sario

sario sinceri fateatur, se impudica quaedam (inter quae mollitiem & sodomiam) *commisisse etiam post rationis usum absque ulla apprehensione, & dubitatione peccati.* Vide quam late ac liberrime ignorantiae hujus invincibilis limites prorogentur. Dicat iterum Paulus: *Nolite errare, neque fornicarii, neque molles regnum Dei possidebunt:* videam, num Paulum potius in errore esse Dissertator contendat, siquidem per istum nonnulli rudes fornicarii, ac molles, & nonnulli pueri, rationis licet non expertes, in haec scelera contra naturam prolapsi, si nihil praeterea impediat, regnum Dei possessuri sint. Haeccine conclusiones remotae a juris principiis per se notis, an potius proximae? Hoccine qui probat, atque infert, nonne nimis infert, ac probat?

Video tamen, quo spiritu ductus, haec scripserit Dissertator. Cum enim consilii sui sit, probabilismi, ac Probabilistarum errores quoquo modo tueri ignorantiae invincibilis nomine; hosce nonnullorum errores, quibus fornicatio vel mollities a legis naturalis prohibitione exclusae fuere, sibi eodem titulo vindicandos duxit. Hac porro ratione ignorantiae privilegia protrahens atque extendens, nihil fere erit in tota lege naturali, quod a crimine excusari non possit.

§. VI.

Doctrina Dissertatoris accedit ad peccati philosophici doctrinam.

SEd aliud quiddam gravius ejus in scriptis advertisse mihi videor, nimirum ea ipsum esse in sententia, neminem peccare nisi actu & expresse saltem per suspicionem cogitet de actionis malitia. id quod si non est velle aliis verbis tueri peccatum philosophicum quondam propositum in thesibus PP. Societatis Colle-

gii Divionensis anno 1686. sane ad philosophici peccati doctrinam quam proxime accedit. Sect. 4. c. 1. affirmat Dissertator *ad culpabilem ignorantiae vincibilitatem requiri expressam & formalem aliquam cognitionem de malitia morali ignorantiae... quod clarius*, inquit, *explico sic. Licet homo possit remote, immo etiam proxime habere scientiam, & licet ignorantia sit eorum, quae homo per se loquendo scire debet sive absolute, sive ex hypothesi* (quae omnia antea explicaverat) *si tamen nihil expresse & formaliter cogitet ne dubitando quidem, aut suspicando de malitia morali ignorantiae, seu, quod idem est, de morali obligatione acquirendi scientiam, tunc ignorantia, in qua versatur, est inculpabilis.* Vides Dissertatorem fateri, eum ignorantiae crimine liberum non peccare, dum quidpiam agit scelestum, quod scire debeat, ac etiam scire possit sive proxime, sive remote, si actu de malitia ignorantiae *nihil expresse, & formaliter cogitet*? Quid porro hac thesi propius ad peccatum philosophicum? Qui hoc peccatum defenderunt, defenderunt non peccare in Deum, qui Deum ignoret, vel de Deo actu non cogitet, licet potuerit, atque debuerit, eo quod ad moralem malitiam culpae in Deum, formalem & expressam Dei cognitionem praecurrere oportere putarent. & Dissertator ad fornicationis ex. gr. & mollitiei malitiam similiter postulat, ut illam praecedat expressa & formalis ejusmodi malitiae cogitatio, quam qui non habent, licet & potuerint habere, & debuerint, tamen a peccato formali per ipsum excusantur. Hac, opinor, de caussa ita facile a culpa immunes censuit pueros, qui turpia secum, aut cum aliis post rationis usum committunt. Dicet fortasse se non exigere actualem culpae cogitationem, ut exigebant, qui peccatum philosophicum docuere, sed expressam tantum & formalem, quae si non sit actualis, sed antecedenter praecesserit, & virtute perseveret, sibi satis videtur ad culpam. sect. enim 6.

obje-

objectionibus responsurus, proposita distinctione peccati ex pura malitia, ex malitia simul & ignorantia, & ex pura ignorantia, ea purae ignorantiae peccata esse definit, quae sine actuali quidem advertentia fiunt, *non committuntur tamen absque omni expressa cognitione, seu advertentia ad ipsorum malitiam antecedenter habita & moraliter perseverante... moraliter autem censetur perseverare advertentia illa praehabita, & consequenter etiam ignorantia ipsa inesse culpabilis, quando negligentia in inquirenda veritate non est per veram poenitentiam retractata, aut nondum adhibita est sufficiens diligentia ad repellendam ignorantiam*. Hinc autem gravis culpae accusat omnes, etsi actu non cognitos, errores ejus Parochi, qui licet suae imperitiae sibi conscius, advertensque olim errandi periculum, cui se exponebat, id tamen officii obire non recusavit. Hac sane ratione, fateor, a philosophici peccati doctrina Dissertator aliquantulum recedit. At imprimis cum haec dixerit obiter responsurus quibusdam difficultatibus, in quibus ex Scriptura & Patribus agnoscimus peccasse multos, licet actu de malitia nihil cogitarint: in thesi autem, ubi ex proposito suam sententiam explicat atque statuit, ita *virtualem & interpretativam cognitionem* sufficientem neget, ut velit *expressam & formalem* haberi cogitationem, ex qua lex, seu obligatio sciendi *hic, & nunc urgeat*, quibus verbis actualem cognitionem postulare videtur, quippe quae sola opponitur *cognitioni virtuali* (nam si pro cognitione *formali*, quae illi item adversatur, intelligat cognitionem formalem, quae antea extiterit, & virtute perseveret, non autem formalem, quae actu existat; ipse per hoc *virtualem, & interpretativam cognitionem* sufficientem admitteret, quam in thesi excludit) & sola sane *hic & nunc* urgere potest jam per eam explicationem atque distinctionem non plane satisfacit. Discipuli nimirum ejus qui erunt a consiliis & Confessionibus, eam potius doctrinam sequentur,

 quam

quam in thesi fuse tractatam legunt sect. 4. quam distinctionem, quae leviter tacta sect. 6 considerationem legentium facile fugit. Porro (quidquid sit de cognitione actuali) undenam Dissertator probat *expressam cogitationem antecedenter habitam*, & *moraliter perseverantem* ad ignorantiae culpam requiri in eo, qui, ut supponitur, scire potest ac debet? Ignorantia culpabilis ea definitur, quae est earum rerum, quas homo scire potest ac debet, ita S. Thomas & cum eo omnes Theologi. Si homo scire potest quidpiam, vincibilis est ignorantia: si autem praeterea debeat, est etiam culpabilis. Vel ergo neget Dissertator hominem scire posse, aut debere, quae expressa saltem antecedente cogitatione non novit: vel si concedit utrumque, ejusmodi ignorantiam culpabilem non neget. Itaque male posuit in thesi. *Licet homo possit remote, immo etiam proxime habere scientiam, & licet ignorantia sit eorum, quae homo per se loquendo scire debet.... si tamen nihil expresse & formaliter cogitet, ne dubitando quidem aut suspicando de malitia morali ignorantiae, seu, quod idem est, de morali obligatione acquirendi scientiam, tunc ignorantia, in qua versatur, est inculpabilis*. Fateor quidem ad voluntarii rationem aliquid cognitionis praerequiri: at eam debere esse *expressam atque formalem saltem antecedenter habitam & moraliter perseverantem*, plane inficior. Quid? Si homo *possit habere scientiam eorum, quae per se loquendo scire debet*; nonne sine ulla expressa cognitione satis est in culpa, si raptus atque illectus cupiditatibus scire non curet, & expressae cognitioni legis, aut suspicationibus obicem ponat? Eadem in hoc vel per Dissertatorem sect. 4. est ratio de ignorantia, ac de inadvertentia. At si quis voto castitatis adstrictus, de voto nihil cogitet, nec cogitaverit unquam, cum carnali concupiscentiae indulsit; nonne peccasse creditur non tam contra castitatem, quam contra votum? Quid ita? nempe quia
ad

ad votum advertere potuit ac debuit; & si non advertit, concupiscentiae delectatio mentem ab omni ejusmodi cogitatione evocavit. Simili prorsus ratione decidendum est de peccatis ex. gr. adolescentium contra naturam, quorum malitiam numquam adverterunt. Si illi rationis usu donati Deo ac naturae intus edocenti aures dedissent, satis in eo fuissent moniti, cum mollitiei ex. gr. occasio incidit, eam a naturae legibus abhorrere. At voluntas concupiscentiae serviens, divinum ac naturale lumen veluti erumpens elisit, atque intercepit. In voluntatis ergo vitium cum cadat ejusmodi ignorantia, quae profecto est consequens, qu is eam, etsi absque expressa cogitatione, a peccato excusare queat?

Dixi *absque expressa cogitatione*; nam in ejusmodi criminibus aliquam saltem confusam malitiae cognitionem innasci semper in nobis, vel ex ipsa verecundia colligere mihi videor, quae aliquid culpae indicat, ut ex antea dictis liquet. cui suspicioni si homo minus expresse advertit, concupiscentia, quae illius avocavit animum, in caussa est. Eadem suspicio exoritur in aliis peccatis naturali legi contrariis: aliquid enim suspicionis saltem confusae ex natura erumpit, quae nos ad veritatis & juris cognitionem manuduceret, nisi a concupiscentiis atque perturbationibus animi voluntarium impedimentum opponeretur. Suspicativam porro & confusam cognitionem si quis cum Dissertatore neget satis aptam ad voluntarium & ad culpam, is excusare debet a peccato plura in Scripturis reprobata ignorantiae crimina, de quibus nulla expressa cogitatio peccantibus oborta probari potest. immo vero non tam hac ratione excusaret a crimine plura peccata in conclusionibus a jure deductis, sed non pauca etiam peccata contra prima juris naturalis principia, quae quandoque homines ignorarunt, ut nullam de illis expressam cogitationem habue-

habuerint. Legantur historiae gentium, & barbarorum, & quid indicem, exploratum erit. Sed quid plura? Ipse Dissertator seu invitus, seu minus advertens hoc ipsum fateri aliquando debuit, cum scriptum reliquit sect. 6. ad arg. 8. loquens de Paulo, qui ignorans peccavit ipsius criminum *malitiam fuisse sufficienter praevisam, si minus clare, & distincte, saltem confuse & suspicative*. En *claram* & *distinctam*, nimirum *expressam* malitiae notitiam haud necessariam fatetur, & sufficientem admittit notitiam *confusam* & *suspicativam*.

De priori dissertatione hactenus. Brevi dabimus ad te, amice, alteram epistolam, in qua de dissertatione secunda iudicium feram. Vale. Datum Veronae VII. Idus Julii an. 1734.

Digitized by Google

EPISTOLA SECUNDA
SEU
CENSURA
SECUNDAE DISSERTATIONIS INSCRIPTAE DE CONSCIENTIA DUBIA.

§: I.

Dissertator egregie statuit, ad agendum prudenter requiri in ultimo practico dictamine moralem certitudinem, nec sufficere probabilitatem.

NON minimum est, in quo Dissertatori gratias agam, qui secunda dissertatione, quae est de *conscientia dubia*, ejusmodi theses constituit, ut non solum mecum omnino sentiat, licet a me dissentire sibi visus sit; verum etiam multa ultro concedens, atque constituens, praecisis plurium difficultatum capitibus, queis probabilitatis controversia est involuta atque implicita, hanc ad unum caput redigat, quod si tertia in epistola amputavero atque comminuero (spero quidem certe) nihil ad pleniorem victoriam desiderari amplius possit. Primo egregie statuit eum peccare, qui practice dubitans operatur. Hinc autem postulans, ut

ut is, qui agit, practice non ambigat, statuit secundo, dictamen practicum ultimum, quo omnis dubitatio, si quae incidat, auferatur; *debere esse moraliter certum, quod scilicet*, inquit, *tali nitatur motivo, ut intellectus, nec dissentire positive possit, nec prudenter formidare*, *dicendo rem fortasse aliter se habere*. Id autem fatetur esse *contra quosdam tam e Probabilioristis, quam e Probabilistis contendentibus sufficere in dictamine practico etiam ultimo probabilitatem, vel saltem probabilioritatem, quae non excludit actualem prudentem formidinem de opposito*. Vide quam multa mihi his verbis concedat. Primo dat probabiles, immo probabiliores etiam opiniones prudentem formidinem non excludere; dein concedit, principium, quo dubium deponatur, oportere esse moraliter certum; nec sufficere, si sit probabilis, vel probabilior. Id unum hac in thesi displicet, quod non tam Probabilistas, quam nonnullos Probabilioristas se impugnare affirmet: qui enim ex his probabiliorem sententiam satis esse putant ad dictamen ultimum, ii probabiliorem sententiam perinde accipiunt, ut directam moralem certitudinem non excludat; qua de re paulo post plura dicenda erunt. Ceterum argumenta, quae in eam secundam thesim statuendam Dissertator affert, cum magno mihi usui futura sint ad ea, quae tertia praesertim dissertatione disputabimus, hic recitare totidem verbis non piget. *Probatur*, inquit, *quod dictamen practicum ultimum debet esse moraliter certum. Nemini licet voluntarie exponere se periculo probabili peccandi: patet, quia periculum probabile est periculum prudenter timendum, ideoque vitandum. Sed qui operatur sine morali certitudine de honestate operationis hic & nunc exercendae, voluntarie exponit se periculo probabili peccandi: patet hoc etiam, quia praecisive a tali certitudine potest prudenter formidare, immo etiam prudenter dubitare, ne forte honesta non sit operatio hic & nunc exercenda. Ergo nemini licet operari sine morali certitudine de honestate operationis hic & nunc exercendae*,

dae, atque adeo non licet operari absque dictamine practico ultimo moraliter certo de tali honestate. Neque dicant adversarii formidinem de opposito esse posse talem, ut facile contemnatur, ac propterea non requiri certitudinem, quae illam prorsus excludat. Si enim hoc dicant, quaero quid sit contemnis formidinem ortam ex probabilitate sententiae oppositae? Numquid est operari nullo habito respectu ad illam? At hoc non licet sine rationabili motivo; involvit enim aliquem legis, & Dei contemptum saltem aequivalentem. Numquid est judicare reflexe eam esse imprudentem formidinem? At ne hoc quidem fieri potest; neque enim imprudenter formidat de opposito, qui probabilem cognoscit esse sententiam, a qua recedit. Et sane quomodo potest quis dicere: Vere probabilis est sententia docens ex. gr. illicitum esse pingere die festo, quam non sequor; vanum tamen esset & imprudens formidare de eo, quod fortasse non licet pingere die festo? Ergo requiritur aliquod judicium certum, quo talis formido excludatur rationabiliter, non autem sufficit contemptur. Confirmatur primo a pari. Qui jaculatur, seu sclopum explodit contra aliquod animal, probabiliter putans esse feram, sed simul prudenter, quia rationabiliter, formidans ne sit homo, juxta omnes imprudenter agit, & voluntarie exponit se periculo homicidii, & peccat. Ergo similiter qui exercet aliquod opus probabiliter judicans esse licitum, sed simul rationabiliter formidans, ne forte sit illicitum, imprudenter agit, & voluntarie exponit se periculo vei illicitae, atque adeo peccat. Confirmatur secundo auctoritate; & primo quidem D. Augustini, qui libro primo de Baptismo cap. 3. ait: efficere id, quod incertum est, an sit peccatum, certum peccatum est; *secundo S. Thomae, qui quodl. 8. a. 13. docet, eum, qui plures habet praebendas, etiam in casu, quod revera licitum sit, peccare, si habeat dubitationem de opposito:* quia, *inquit*, si manente tali dubitatione plures praebendas habet, periculo se committit & sic procul dubio peccat: *ubi per dubitationem intelligit formidinem stantem cum judicio probabili, ut constat ex praecedentibus, quando conscientium dividit*

vidit in certam fidem, & opinionem cum aliqua dubitatione. Ad licite ergo operandum requiritur dictamen practicum ultimum moraliter certum. Euge, pulchre, optime. Quid insignius a Probabiliorista dici potuisset?

§. 11.

Ad agendum prudenter in dubiis sufficit principium certum reflexum, si detur. Dissertator autem male probat dari principium ejusmodi, quo certe liceat sequi sententiam minus tutam. Duo ipsius argumenta explosa.

SEd veniamus ad tertiam thesim, in qua adversum me agere Dissertator credidit. In hac autem affirmat eam practicam moralem certitudinem, quam necessariam dixit, *non semper requiri in dictamine directo, sed aliquando sufficere, cum habeatur in reflexo.* Id quis neget? Nihilo tamen minus Dissertator scribit: *Haec thesis est contra Tutioristas, & plerosque Probabilioristas requirentes in dictamine ipso directo vel certitudinem moralem stricte talem, vel talem excessum probabilitatis pro parte, quae eligitur ad praxim, ut omnis excludatur formido, & proxima sit certitudini morali, nominatim vero contra Anonymum, qui Probabilioristane, an potius Tutiorista dicendus sit, patebit suo loco.* Neque Tutioristae, quos vocat, neque Probabilioristae, neque ego, quem esse Probabilioristam palam fiet, negavimus umquam sufficere moralem certitudinem practicam, siquidem in reflexo dictamine suppetat. Ita in iis dubitationibus, quae utrinque periculum exhibent, veluti est illa de milite ambigente, num bellum a Principe indictum justum sit, an injustum, ubi nuspiam tuta pars militi suggeritur, sed undequaque periculum imminet; periculum enim est, ne injusto bello cooperetur, si obediat, si autem non obediat, ne debitam fidem ac justitiam laedat. iis, inquam, in dubitatio-

rationibus aliisque similibus, quae partem tutam non praeferunt, cum nulla pars ea principiis directis peccandi periculo certo vacet, jam ad principium aliquod reflexum confugiendum est, quod cujusmodi sit, dictum est nobis cap. 6. & in hoc omnes convenimus. (Adverte ad haec, ne moveant, quae de principio reflexo ab ipsis Probabilioristis concesso Dissertator inculcat sectione prima in fine.) Illud autem, quod ego cum ceteris ejusdem sententiae negamus, ac pernegamus, est, in iis dubitationibus, quae ita versantur inter opiniones probabiles, ut ex una parte peccandi periculum immineat, ex altera nullum, dictamen nullum suppetere reflexum, quo moraliter certum sit, licere sequi eam partem, quae probabili peccandi periculo obnoxia est, relicta ea, quae peccandi periculo caret. Si Dissertator contra me statuere voluisset quidpiam, non id opus erat, ut in thesi affirmaret, ad moralem certitudinem sufficere, si ea in dictamine reflexo habeatur, licet non habeatur in directo; sed dictamen aliquod reflexum moraliter certum inter probabiles opiniones haberi, statuere atque demonstrare oportebat. Cum tamen in afferendis argumentis pro hac thesi, si non probat id ea sententia, saltem id se probare supponat (unde hac thesi utetur postea ad statuendam probabilitatem dissertatione 3.) singula ad examen paucis revocabimus.

Itaque ejus thesis probationem eo adducit, ut probandum sibi sumat, licere sequi opiniones minus tutas, quae directa certitudine carent. Primo autem id probat ex propositione damnata ab Alexandro VIII. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam; quae tamen opinio probabilissima*, inquit, *differt a moraliter certa; haec enim excludit omnem prudentem formidinem de opposito, illa vero prudentem aliquam formidinem licet minimam admittit, utpote quae, esto inter probabiles principem locum obtinet, non ta-*

men fines probabilitatis excedit. Tot ferme aequivocationes, quot verba. Imprimis aut opinio probabilissima idem est ac opinio moraliter certa, aut nulla opinio est ejusmodi, & moralis certitudo cum certitudine physica vel metaphysica perperam confunditur. Dein moralis certitudo, quae ad prudenter agendum postulatur, in eo sita est, ut prudentem dubitationem excludat: haec autem prudens dubitatio satis excluditur, si nullae graves, sed tantum leves rationes animum pulsent, ut pluribus demonstratum est cap. 4. Itaque cum opinioni probabilissimae opponantur leves tantum rationes, quae prudentem dubitationem nequeunt elicere, eam a morali certitudine nihil abesse, quis inficias ibit? Id apparebit multo evidentius, si declaremus, quem sensum habeat damnata propositio penes eos, ex quibus decerpta est. Auctores damnatae propositionis in ea fuerunt sententia, ut quoties veritas non esset omnium judicio explorata, & cognita, sed in opinione versaretur, putarent non licere vel eam opinionem minus tutam amplecti, quae omnium fere Doctorum suffragio & argumentis apertissimis fulciretur, siquidem unus vel alter auctor, argumentis etiam tenuissimis ductus, contrarium docuisset. Putarunt mirum plenum esse periculi, huic opinioni licet probabilissimae sese fidere, ac si non dubitatio solum gravis, quam gignunt opiniones aeque, aut fere aeque probabiles, sed levas etiam formido, quam movere potest opinio, quae perpaucos suffragatores habet tenuissimis argumentis ductos, ejusmodi periculum creet, quod qui spernat, probabilissimam licet opinionem sequutus, agat imprudenter, gravisque peccati reus sit. Id est rigidum nimis & falsum; cum non ex levibus, sed ex gravibus indiciis atque argumentis, quae vir prudens nequeat contemnere, grave errandi periculum immineat. Ubi levia occurrant argumenta,

menta, auctoritas levis, prudens nemo ambigendum duxit; sed tum veritas satis moraliter evidens per se habita semper fuit, unde etiam creditum est licere secundum eam operari. Itaque jure ea propositio proscripta est, non quod directa certitudine carens opinio probabilissima reflexam habeat, ut Dissertator putat, sed quod habeat directam. Hac porro occasione ille me velut per transitum alia ratione pungit, quasi capite v. perperam posuerim, propositionem damnatam valere in sensu, quo opinio probabilissima minus tuta simul vera sit. Sed cum id exagitet ex suppositione, quod everterit Dissertatione prima, quae nos ex Patrum doctrina statueramus de ignorantia invincibili cap. v. legatur superior epistola, & jure ne, an injuria ibidem statuta se evertisse praedicet, quo meam interpretationem repudiet, plane cognoscetur.

Alterum argumentum, quod a Dissertatore pro tertia thesi urgetur, suppositioni non minus falsae incumbit. Affert nonnulla Pontificum responsa, indicat multas S. Thomae sententias, qui opiniones probabiles minus tutas sequuti fuere. Esto tantum probabiles fuerint eae opiniones, quas vel Pontifices in responsis, vel S. Thomas suis in operibus sequutus est: numquid eos dubios in iis opinionibus fuisse Dissertator probat? Nihil minus. Si autem id non probat, nec probare quidem potest, undenam excludens directam certitudinem, reflexa certitudine eosdem uios persuadeat? Ego vero ita sentio, tum Pontifices, tum S. Thomam (idem dicatur de aliis Patribus) non alias probabiles sententias fuisse amplexos, quam quae iisdem ita probabiles visae sunt, ut intimum mentis assensum exprimerent. Idem ipsis accidit, ac nobis evenire solet in pluribus ejusmodi sententiis benignioribus, quas tutissime sequimur, etsi nullum reflexum principium certum a Probabilistis indicatum approbemus. Sicut autem illae nobis ita persuadentur,

ut

ne levia credamus, quaecumque contra opponuntur, nec dubitare prudenter possimus, & hac ratione habeamus moralem certitudinem; ita & Pontificibus & S. Thomae accidisse nihil est dubitandum. Neque quispiam fortasse in dubitationem adducat, quod dixi, eas opiniones, quas Pontifices & S. Thomas sequuti sunt, iisdem persuasas fuisse. De Pontificibus certa res est, cum ex pluribus locis pateat, eos, ubi dubitatio incideret, eam regulam semper sequutos, *in dubiis tutior pars est eligenda*. Si porro non dubitarunt, cum benigniorem sententiam amplexi sunt, jam efficitur eos persuasos fuisse. Idem est de Thoma, quem quis ambigat, vel leviter addubitasse, cum suis in thesibus & adoptatam opinionem statuat confidenter, & gravissimis documentis probet, & quae videantur opponi, enucleate diluat? Si haec indicia non sunt animi persuasi atque convicti, quae, rogo, meliora afferantur? At, inquies, persuasae illis quidem erant opiniones, quas sequuti sunt, non tamen tamquam probabilissimae, quibus leves tantum rationes obiiciuntur, sed tamquam probabiliores, quas oppugnant rationes probabiles, & graves: quo fit, ut prudens dubitatio ex directis principiis debuerit enasci, ac proinde moralis certitudo reflexa locum ibidem habuerit. Qui haec obiiciunt, nondum intelligunt, quae & quatenus opinio probabilior assensum prudentem sibi concilient. Dissertatori quoque istud perpetuo fucum fecit, unde ad plura argumenta eludenda hac responsione usus est, licere per Probabilioristas sequi sententias probabiliores, quae minus gravibus quidem, at gravibus, non autem levibus argumentis oppugnari noscuntur. Quae fallacia ne deinceps obtineat, oportet expliecm latius, quas sententias probabiliores & Pontifices, & S. Thomas sequuti fuerint, & quas (a) cum Probabilioristis credamus posse nos sequi.

(a) Vide de hoc argumento iterum epist. 4.

§. III.

§. III.

Quae sententia probabilior moralem certitudinem pariat, & quae admittatur a Probabilioristis tamquam regula morum. Duplici distinctione plures aequivocationes sublatae.

DUplex inprimis probabilitas a Theologis considerari solet, *objectiva*, & *subjectiva*. *Objectivam* vocant, quae sita est in extrinseca approbatione prudentum, & de hac proprie Aristoteles scripsit primo Topic cap. 1. ea dici probabilia, *quae videntur omnibus, aut pluribus, vel sapientioribus* &c. In hanc acceptionem probabilior dicitur ea sententia, quae plurium Doctorum suffragio approbatur, quae pauciorum vero, minus probabilis. *Subjectiva* autem dicitur ea probabilitas, quam in cujusque mente quaelibet opinio obtinet; & hac acceptione subjective alicui probabilior esse potest nonnumquam sententia, quae minus probabilis objective habetur, quod hominis mentem magis persuadeat; ac minus probabilis subjective potest esse cuipiam opinio, quae objective est probabilior, quod ejus mentem minus moveat. Porro cum ad agendum praecipue spectetur probabilitas subjectiva, non autem objectiva, adeo ut ipsas opiniones objective probabilissimas sequi non possit, qui de iisdem ambigat, vel judicet improbabiles. Probabilioristae cum tradunt probabiliores sententias esse regulam morum, de iis sententiis loquuntur, quae sunt subjectivae probabiliores. Hinc non semper contendunt debere esse objective probabilius, quod sequi debeamus; sed satis esse ajunt, si consideranti rem diligentius subjective probabilius judicetur, unde evenire nonumquam potest, ut liceat sequi opiniones, quae sunt objective minus probabiles, siquidem operanti non imprudenter probabiliores appareant, de

quo

quo plura leges apud P. Tyrsum Gonzalez locis inferius allegandis. Porro in edito libello de hac subjectiva probabilitate sermonem faciens, duplex genus opinionum subjective probabiliorum distinxi: alterum earum, quae modicum, alterum earum, quae multum in probabilitate contrariam opinionem exsuperant. Primum genus, quod probabilioritatem exhibet potius logicam, quam moralem, est in iis opinionibus, quae aliquantulum quidem praestare videntur contrariis, sed non tantum, ut gravia earum argumenta eludant, leviaque persuadeant, unde non omnem animi fluctuationem prudentem adimunt. Hinc ejusmodi opiniones logice probabiliores quidem dici solent, sed moraliter dubiae appellantur, quod cum morali dubitatione, ac prudenti conjunctae sint; & in his, quoad regulam morum, quae non logicam, sed moralem probabilitatem attendit, Probabilioristae omnes has sequi nos posse numquam sensere, quod moraliter dubias, non autem probabiliores habuerint. Alterum porro genus probabiliores eas opiniones continet, quae ita vincere videntur opposita, atque excellere, ut exilia, ac imbecilla judicentur contraria argumenta, imprudensque existimetur assensum cohibere. Hae autem opiniones, quae ita persuadent, non logice solum, sed moraliter probabiliores cum sint, habitae fuerunt a cunctis Probabilioristis, & a me quoque habentur regula morum honesta. Cum vero ab eo, quem in memoratam rationem afficiunt, perinde exprimant assensum, ut solent exprimere opiniones probabilissimae; hinc eas aliquando probabilissimas dixi, non quod censerem opiniones solum probabilissimas, non autem probabiliores posse non sequi, sed quod probabiliores in eam sententiam, quae est communis omnibus Probabilioristis, probabilissimae vere sint, non *objective*, sed *subjective*, idest in mente ejus, cui persuadentur; quem proba-

probabilitatis statum, ut vocant, in agendo maxime spectari monuimus Neque vero hoc duplex probabilitatis genus ipse mihi confinxi. Nedum Probabilioristae accuratiores eam distinctionem suggerunt, sed ipsi etiam diligentiores Probabilistae, qui laxiori probabilitati angustiores limites praefinientes, contendunt licere quidem sententiam minus tutam, & minus probabilem, quae a tutiori, & probabiliori modicum excedatur, at negant licere sequi sententiam minus tutam, & minus probabilem, quam altera tutior & probabilior multum exsuperet. Rationem autem hujus distinctionis eam afferunt, quod cum probabilitatis excessus est modicus in tutiori sententia, opinio minus probabilis adhuc vere probabilis est, & utriusque sententiae probabilitas hoc in casu moraliter est aequalis: cum vero probabilitatis excessus est valde magnus, sententia, quae minus probabilis dici solet, potius dicenda est (sicuti est vere apud hominem, quem ita affectum supponimus) omnino improbabilis. Audiatur P. Esparza in Appendice de usu licito opinionis probabilis art. 112. *Fieri non potest, ut opiniones invicem contradicentes maneant ambae probabiles apud eum, cui est evidens ac manifestum & indubitabile, alteram opinionem niti motivo absolute, & simpliciter, omnibusque hinc inde consideratis majori; quia ad probabilitatem opinionis requiritur, ut nitatur aptina fundamento & absolute, & comparative magno, idest fundamento, quod non solum seorsim & secundum se sit difficile solubile, & valide pertrahat ad assensum, sed quod comparative etiam cum fundamenta appositae partis retineat etiam vim magnam pertrahendi ad assensum. Quando autem fundamentum unius partis evidenter, & manifeste, atque indubitanter est majus, quam fundamentum oppositae partis, eo ipso fundamentum istud minus evadit parvum sub ea comparatione, nec retinet amplius vim magnam pertrahendi ad assensum.* Similia leges apud Patrem Terillum in tomo de Regula morum quaest. 1. a num. 7. & apud Patrem

Cardenas in sua Crisi Theologica tom. 1. disp. 6. art. 2. num. 105. ubi loquens de facti quaestione, partem minus probabilem proprie improbabilem appellat. Hoc ipsum late statuit P. Andreas Junius in tom. de Conscientia, quem praelo paratum reliquit in Collegio imperiali Matritensi sect. 1. cap. 5. & 6. & sect. 3. cap. 16. ubi *ad probabilitatem opinionis requirit*, teste P. Thyrso Gonzalez, *quod nitatur motivo moraliter saltem aequali motivo partis oppositae*, idest, quod a sententia opposita modicum excedatur; *unde docet non esse probabilem alicui opinionem, quae illi apparet simpliciter minus verisimilis, quam sententia opposita*. Si ergo vel per Probabilistas sententiae, quae modico probabilitatis excessu praestant oppositis, non probabiliores, sed moraliter aequales habentur; quid mirum dixisse me, a Probabilioristis, qui probabiliores, non autem aequales in probabilitate opiniones morum regulam affirmant, eas excipi, quae modicum excedunt? Si porro iisdem Probabilistis concedentibus sententiae, quae in probabilitate multum praestant oppositis, has improbabiles efficiunt, quis dubitet eas in illius mente, cui apparent tanto excessu probabiliores, vere esse probabilissimas, uti ipsas vocare nonnumquam placuit (quid enim proprie probabilissimum, nisi id, cui opinio leviter probabilis, seu potius improbabilis adversatur? Probabiliores autem dicuntur relate ad eos, qui contrarias sententias judicant vere probabiles) & penes ipsum, cui sunt perinde probabiliores, seu probabilissimae, moralem certitudinem obtineant? Moralis certitudo in eo sita est, cum quis veritatem ita perspicit, ut de ea addubitare prudens nequeat. Dubitare autem prudens nemo potest, cum vel nullae rationes contrariae suppetant, vel solum leves, & improbabiles. Itaque de ea sententia quis prudenter dubitet, cui sententiam improbabilem ac levibus innixam fundamentis opponi videt? Quod si haec adhuc dicitur probabi-

babilis, quatenus aliis ejusmodi videtur, nihil interest: siquidem ei, cui tanto excessu probabilior est, opposita opinio improbabilis judicatur. Videsis, quae tradit pluribus P. Thyrsus Gonzalez differt. 2. §. 5. num. 28. & differt. 1. §. 6. num. 27 Sed quid longius vel a Probabilioristis, vel a Probabilistis auctoritates exquiro, ut opinioni probabiliori, cui propter suae probabilitatis excessum solum levia argumenta opponi apprehendantur, moralem certitudinem vindicem, cum Differtator id aperte concedat differt. 3. cap. 1. sect. 2. ubi loquens de opinione minus probabili, ac probabiliori haec tradit · *Vel motivum, cui innititur opinio probabilis est grave eidem ipsi, cui gravius est motivum oppositum, vel non. Si hoc secundum, opinio probabilior respectu illius non solum est probabilior, sed moraliter certa. Si primum &c.* Fallitur porro in sequentibus, ubi supponit Probabilioristas docere, licitum esse sequi sententias probabiliores, queis opponi quis videat argumenta, quae tamquam gravia ipsi exhibeantur: fallitur, inquam, nam ejusmodi sententias, quas accuratissimi Probabilistarum moraliter aeque probabiles appellant, illi moraliter dubias existimarunt. Illud autem Differtator ubique inculcare, ac supponere videtur, sive incuria legendi (nos enim hanc aequivocationem aperta distinctione in edito libro videmur sustulisse) sive falsa praeoccupatione mentis, qua illud sibi persuaserat, plerosque Probabilioristarum sentire, ad agendum honeste satis esse, siquis sequatur opinionem in probabilitate leviter excedentem, quod multis expunctum est hactenus, & sequenti etiam epistola expungemus fortasse pluribus. Sed tempus est, ut ad Pontifices, ac S. Thomam redeam. Hi ergo cum probabiliores sententias sequuti sint in eam acceptionem, quam Probabilioristarum esse diximus, quaeque prudentem excludit formidinem, eos morali directa certitudine usos nemo inficias ibit.

§. IV.

Expungitur tertium Dissertatoris argumentum. Ratio, & auctoritas, quibus probatum est, in dubiis tutiorem partem eligendam, male ab eodem rejectae.

Tertium argumentum, quod Dissertator affert, omnium est imbecillimum, quippe non solum adhuc non profert ullum reflexum principium certum, sed praeterea affirmat, nec probat, esse absurdum semper obligare ad sequenda tutiora, cum quaestio utrinque probabilis agitetur, nec certitudo moralis in benigniori sententia suppetat. Si enim haec obligatio non extendatur ad omnes casus, in quibus enascitur inter auctores quaestio, & a quibus moralem certitudinem Dissertator, Probabilioristarum sententiam non assequutus, perperam excludit; sed restringatur ad illos, in quibus mens deliberare in neutram partem prudens possit, quod neutra opinio persuadeatur: jam quicumque eam obligationem sequendae partis tutioris importunam, ac importabilem dicat, is & rationem evidentissimam, & omnem sacram profanamque auctoritatem accuset necesse est, quae non aliter tradunt, quam in ejusmodi dubitationibus tutiorem partem eligendam. Hanc quidem & auctoritatem, & rationem, quas appellavi, Dissertator in responsionibus ad objectiones nititur infirmare; at frustra.

Ad rationem quod attinet, illam vel non exponit, uti affertur a nobis, vel inani suppositione diluit. Quaecumque ratio afferatur, ut palam fiat opus esse in dubiis partem tutiorem sequi, iisdem principiis nititur, quae Dissertator superioribus thesibus approbat. Qui in dubio operatur sequens eam partem, quae peccandi periculo obnoxia est, relicta parte tutiore, peccat.

cat. Id a Dissertatore concessum vidimus in prima thesi. Porro inter opiniones probabiles actualis & prudens dubitatio enasci potest, quod utrinque suppetant gravia argumenta, ob quae intellectus prudenter dubitet: neque ad ejusmodi dubitationem abjiciendam sufficit benignioris partis probabilitas, sed requiritur principium moraliter certum. Id quoque Dissertator non inficiatur. Porro argumenta, quae is affert ad hanc thesim probandam, non tantum probant requiri principium moraliter certum, ut thesis exhibet, sed praeterea probant, per se non licere in ejusmodi probabilibus dubitationibus benigniorem partem sequi, ac proinde probant dari certum principium reflexum, non quo certum fiat licere sequi sententiam benigniorem, ut idem Dissertator se evidenter probaturum recipit, sed quod benigniorem sententiam sequi non liceat Si prudens dubitatio peccandi orta ex probabilitate utriusque sententiae versatur circa partem benigniorem, jam in sequenda hac parte prudens periculum peccandi adest, periculum, ut cum Dissertatore loquar, (1) *prudenter timendum, atque cavendum* ex eo naturali praecepto, quod ille fatetur certissimum, *nemini licet voluntarie exponere se periculo probabili peccandi*. Lege iterum rationes pro secunda thesi superius descriptas ad verbum, & omnes plane eo recidunt, ut probent dari certissimam legem, qua praeceptum est, in dubiis probabilibus, ubi sane moralis certitudo deest, non licere sequi partem peccandi periculo expositam relicta tutiore. Hanc autem objectionem Dissertator non in eam vim atque rationem, quam proposui, exprimit, nec dissolvit; at solum ubique pollicetur se dissertatione tertia expositurum aliquot reflexa principia moraliter certa, quibus pateat licere sequi partem benigniorem. Homini acuto, & bene ratiocinanti cognoscendum esset omnino impossibile id promissum implere. Si enim vera sunt, quae in allato argu-

(1) *Abbi vecat proximum*. vide infra p. 131.

argumento ſtatuimus ex ipſius Diſſertatoris theſibus, atque principiis lumine naturali notis; tantum abeſt, ut afferri poſſit ullum principium reflexum certum, quo liceat ſequi benigniorem ſententiam, in qua ineſt probabile & prudens periculum peccandi, quin potius detur oportet, ipſo Diſſertatore fatente, principium reflexum certum, quo id minime liceat. At quoniam ille ipſe ad tertiam diſſertationem appellat, quam vana ſint ejuſmodi principia ibidem ab eo allata, ex ſequenti epiſtola, ubi de ea diſſertatione ſtatuemus, uberius cognoſces.

Neque ad auctoritates, quam ad rationem, melius reſpondet. Mitto Gentiles, quorum teſtimonium flocci facit ea ſuppoſitione, quod Eccleſiae Doctores ſanctiſſimi aliter doceant. Mitto falſam interpretationem aliquot locorum Sacrae Scripturae, de quibus non multum laborare velim, & praeſertim interpretationem ejus loci ex actis Apoſtol *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nil ultra vobis imponere oneris praeter haec neceſſaria*; ubi haec *neceſſaria* perperam explicat pro iis, *quae lex, aut ratio clara certo praeſcribit*. Videamus quid de Patribus, quid de Pontificibus dicat. Ex pluribus S. Auguſtini teſtimoniis, quae per vim exponit, cedo illud ex libro 1. de Baptiſmo, ubi docet hominem *graviter peccare in rebus ad ſalutem animae pertinentibus, vel eo ſolo quod certis incerta praeponat* · quod teſtimonium haud ſibi contrarium cenſet Diſſertator, *ibi enim*, inquit, S. Doctor *agit de eo, qui poſtquam agnovit, atque amplecti ſtatuit catholicae fidei veritatem, adhuc dubitet, an licitum ſit recipere baptiſmum inter haereticos, atque, cum peccaturum, ſi baptiſmum ita ſuſcipiat, & ratio eſt manifeſta, is enim imprudenter dubitat, atque operatur*. Nihil pejus. Auguſtinus ibi non idcirco eum hominem peccati accuſat, qui baptiſmum apud Donatiſtas accipit, quod imprudenter dubitet, poſtquam Eccleſiae fidem amplexus eſt; immo cum ejuſ-

modi

modi hominem non possit persuadere, ut credat illicitum baptizari apud Donatistas, ipse illum in hanc quodammodo dubitationem venire consentit: sed peccati idcirco illum reprehendit, quod in dubio tutiorem partem praetermittat. Id ut intelligas exploratissime, legendus est totus Augustini locus, & ea, quae in illum animadvertimus part. 2. historiae Donatist. cap. 4. pag. 318. tom. 4. Operum Norisii. Dissertator ergo vel Augustinum non legit, vel, ne sibi videretur contrarius, aliorsum violenter distraxit. Neque melius explicat plures Decretales Pontificum, in quibus inculcatur illud reflexum principium, tamquam moraliter certum, *in dubiis tutior pars est eligenda*. Putat autem hoc principium esse consilii, non praecepti, & in hanc rem testem miserrime affert S. Antoninum part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. reg. 6. qui tamen de scrupulosis ibidem agens, jam de dubio levi, qui in ejusmodi homines cadere solet, loqui intelligendus est, non autem de dubio probabili: unde se explicans eadem parte tit. ult. ubi hanc ipsam regulam juris canonici ex proposito exponit, haec habet: *Nota tamen, quod est dubium probabile, & est dubium scrupulosum. De probabili haec* (regula) *loquitur, cum scilicet rationes sunt ad utramque partem quasi eaquales* (quasi aequales, inquit, ut includat opiniones probabiliores modicum excedentes, quas moraliter dubias monuimus) *& peccatum grave est se exponere tali dubio, ubi est mortale. Est aliud scrupulosum, ubi scilicet ex levi suspicione timet quis esse in aliquo actu peccatum, ubi non est; & istud ad consilium boni viri est deponendum*. Sed Dissertator consilii esse putans hoc juris principium, illo tamquam generali consilio Pontifices usos affirmat, *ut statuerent reipsa sequendum esse, quod tutius est in hoc, & in illo casu particulari, vel ob specialem reverentiam erga Sacramenta, vel ad vitandos conscientiae remorsus*. Et in hanc sententiam explicat singulos canones, in quibus illud principium usurpatur.

tur, Ita inprimis nullam ab eo fieri mentionem ejus canonis, quem in rem nostram fuse exposuimus cap. 6. §. 7. qui ita est circumscriptus, ut cum nobis apertissime faveat, tum Dissertatoris interpretationem minime patiatur? Dein quod is excogitavit cum Probabilistis ad explicandos reliquos canones, non negarim, posse valere, siquidem Pontifices eo principio utentes, ostendissent aliquo indicio, se certam legem ferre, quod iis in circumstantiis, quae dubium facessebant, ob Sacramentorum reverentiam, aliisque de caussis velint, tutiorem sententiam, etsi per se non obligantem, minus tutae praeferri. At non ita est. Immo vero fatis produnt se ejusmodi legem ferre in memoratis circumstantiis, idcirco quod illud principium per se obliget, & ad id decernendum cogat. *Quia*, inquiunt, *in his, quae dubia sunt, quod certius*, idest, tutius *existimamus, tenere debemus*: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*, & his similia. Quamquam ut fateamur, quod verius est, nullam proprie legem universim ibi Pontifices ferunt, sed tantum explicant naturalem: rogati enim a viris particularibus, quid quibusdam in casibus agendum sit, vel fuerit (attinguntur nimirum alicubi casus, & actus praeteriti, in quos praeceptum nullum sane cadere potuit) reponunt ob eam caussam, quod *in dubiis tutior pars sit eligenda*, illos debere, vel debuisse ita se gerere, uti in singulis canonibus exprimitur. Itaque vel in illis ipsis casibus, qui in canonibus memoratis cumpraehenduntur, praeceptum nullum valet, vel si quod valet, non ex speciali praecepto, ac lege Pontificum obtinet in iis tentum casibus, sed ubique ex naturali, ac generali axiomate, *in dubiis tutior pars est eligenda*, quod veluti per se praeceptivum earum responsionum unica ratio fuit. Mira responsione ab hoc argumento se subtrahit Dissertator inquiens, *ex genere Pontifices, quando rationes afferunt*

ferunt suarum decisionum , in illis afferendis non loqui ex Cathedra , neque ejusmodi rationes inculcare tamquam regulas fidei , & fidelium . Hinc concludit : *Cum regula haec , in dubio tutior pars est eligenda , afferatur in citatis canonibus tamquam ratio decisionum, non censenda est habere vim decisionis*. Vide quo deveniunt, qui probabilitatem sustinere omni conatu instituerunt. Praetereo nunc, Pontifices , cum quidpiam decidunt in fidei Dogmatibus, posse falli, cum rationes afferunt , quin fallantur in dogmate. At in decretis ad positivam legem pertinentibus , si naturalis ratio ita afferatur , ut ea una sit unica caussa decidendi , quemadmodum evenit in canonibus laudatis ; numquid ipsa ratio vim decisionis non habet ? Saltem cum in his , quod statuitur , praecepti vim habeat ; si ratio, qua ad id praecipiendum Pontifices moti fuere , falsa sit, jam falso principio illi ad praecipiendum moti fuisse dicendi sunt . Ad summum hinc evincitur, eos hoc principium habuisse certissimum, ac naturali ex lege obligans, unde si illud non habuissent ejusmodi , nihil tale praecepissent . Itaque constanti Pontificum sententia liquet, in dubiis, quae incidunt, sententias eligendas esse tutiores, ac periculo non esse expertem, qui benigniores sectatur. Quatuor confirmationes, queis Dissertator convincere nititur , in praedictis canonicis documentis Pontifices nihil statuisse de praecepto naturali sequendae partis tutioris, leviores sunt , imbecillitatemque propositae doctrinae manifestius declarant. Primo si in dubiis, inquit, sequenda esset tutior pars ex naturali lege , *plerumque inutilis , atque omnino stultus esset in dubiis recursus modo ad Episcopalem, modo ad Romanam curiam, cum in ejusmodi dubiis plerumque appareat , quid tutius sit , quidve minus tutum*. Male, neque enim in caussis ejusmodi petitur, ut decidatur, quodnam sit tutius, vel minus tutum, quemadmodum. Dis-

 serta-

fertator perperam cenfet, fed ut decidatur, fi fieri pof-
fit, quid verum, falfumve fit. Secundo quod ait, ine-
ptas, & mancas futuras decifiones Pontificum circa
quafdam laxioris probabilitatis doctrinas, fiquidem
illi profcribere debuiffent alias doctrinas probabilita-
tis vi praecepti naturalis laudati, nihil conficit. nam
neque ineptum fuit damnare eas propofitiones, quas
jure naturali interdictas multi nolebant agnofcere,
neque fi mancum quodammodo fuit omittere decifio-
nem exploratam totius probabilitatis, id valet quid-
piam ad eam ftatuendam, vel confirmandam, ut plu-
ribus oftenfum cap 8. cum praefertim in fanctioni-
bus Pontificum contra quafdam Probabiliftarum do-
ctrinas probabilifmi radix penitus evulfa fuerit.
Quod addit tertio de Pontificibus, qui auctoritate,
& exemplis fuis nos docent, haud exiftere generale il-
lud praeceptum fequendi in dubiis tutiorem partem,
cum plures fententias minus tutas in difpenfationibus
fecuti fuerint; id fuperius a nobis fatis explicatum
fuit, ubi mirificam Differtatoris aequivocationem a-
peruimus, qui fententias objective, ut vocant, dubi-
as, feu controverfas, fubjective quoque apud Ponti-
fices dubias habuit, quod oftendimus falfum. Similis
refponfio eft ad quartam confirmationem, in qua il-
le longum texit catalogum opinionum benigniorum,
quas licet dubias & controverfas S. Thomas fequutus
eft. Quem catalogum claudens, *Quid*, inquit, *ad haec
Anonymus, qui adeo confidenter jactat tutiora in dubiis eli-
genda effe, non ex confilio, fed ex praecepto?* Nihil omni-
no, inquam, refpondeam, cum haec omnia ad rem,
de qua loquimur, nihil faciant. Etenim S. Thomas &
fimiliter alii Sancti Doctores cum benigniores fenten-
tias tradiderunt, non fuerunt in dubio, ut fupponit
Differtator, fed illas fibi exploratas, ac perfuafas
habuere, ut fuperius oftendimus. Itaque cum non fue-
rint

rint ambigentes, nihil mirum, si penes eos tum non valuit principium, *in dubiis tutior pars est eligenda*; quam partem eosdem sequutos, si quando ancipitem dubitationem imbibere, aliunde constat. Sed haec pluribus refellere non vacat.

Ex dictis vero hactenus satis colligitur, quam minus apte & inaniter Dissertator laboravit, sive cum probare studuit, dari principium reflexum, quo certum sit licere inter probabiles opiniones actualem prudentem dubitationem ex directis principiis inicientes, benigniorem partem minus tutam sequi; sive cum refellere conatus est ea documenta, quibus statuimus naturale illud praeceptum: *in dubiis tutior pars est eligenda.* Hoc unum ad rem plane transigendam est reliquum, cognoscere num infirmis quoque aequivocationibus statuat ea reflexa principia moraliter certa, quae tertia in Dissertatione se constiturum magnifice spondet. Prolixas sectiones in id dictatas video, ingentem testimoniorum farraginem, longissimas ratiocinationes. Nescio, an expectandum sit pervulgatum illud: [illegible]

Suspendamus interim judicium, quod ad sequentem epistolam reiicimus.

EPISTOLA TERTIA
SEU
CENSURA
TERTIAE DISSERTATIONIS INSCRIPTAE DE CONSCIENTIA PROBABILI.

§. I.

Status quaestionis, uti a Dissertatore constituitur, postulat principium reflexum moraliter certum, quo pateat licere sequi sententiam minus tutam inter probabiles.

INter opiniones probabiles, quae a Theologis utrinque controvertuntur, mentes hominum nonnumquam ita probabilius adhaerere uni parti, ut nulla prudenti dubitatione exoriente, penes ipsos obtineat ea moralis certitudo, quae ad agendum prudenter est necessaria, apertum fecimus epistola superiori, neque in hoc quicquam controversiae nobiscum cum Probabilistis est. At cum non raro contingat, ut inter easdem opiniones utrinque probabiles mens neutri parti perinde assentiatur, quin ob gravium argumentorum pugnam prudenter dubitet, liceat

nec

nec ne hoc casu omni dubitatione, quae ex directis motivis oritur, abjecta minus tutae opinioni adhaerescere, Probabilioristae cum Probabilistis maxime certant. Dissertator, contra quem nunc agimus, ex constitutis dissertatione secunda concedit non satis esse ad agendum honeste, si abiiciatur ea dubitatio, quam prudenter posse enasci nihil ambigit; sed principium reflexum omnino certum requirit. Itaque praesentis quaestionis status & ratio eo tandem refertur, utrum ejusmodi certa reflexa principia eidem suppetant, uti toties magnifice jactitavit. Magno autem conatu superiori dissertatione ostendere nisus est, illud principium *in dubiis tutior pars est eligenda*, non praecepti, sed consilii vim habere. Etenim si illud sit naturale praeceptum, cui repugnare non liceat, praevidebat idem habiturum vim principii reflexi moraliter certi, quo omnis aditus intercluditur cuicumque principio reflexo, quale hac tertia dissertatione constituere deliberaverat; neque enim utrumque certum esse potest, in dubiis tutiorem partem ex praecepto eligendam, & ea praetermissa eligi posse sententiam benigniorem. At cum incassum laboraverit sive respondens evidentissimae rationi, sive interpretans apertissima testimonia, quae stant pro nobis, ut ex superiori epistola manifestum est; quid sibi reliquum esse eidem potest, qui hac dissertatione tertia nihil afferens novi, ut illud principium probet esse consilii, sed supponens potius id abs se satis superque jam constitutum, aliquot principia variis in sectionibus statuere aggreditur, quibus persuadeat, esse reflexe moraliter certum, inter opiniones probabiles dubitationem ex principiis directis afferentes licere tutiorem sententiam deserere, ac mitiorem, etsi minus probabilem, sequi? Nihil omnino. Sed age singula haec principia reflexa vocemus ad calculos, ut videamus, num eam moralem certitudinem habeant, quam ad pru-

ad prudenter agendum in practico ultimo dictamine ipse Differtator efflagitat.

Haec moralis certitudo ex ipsius sententia, quam initio epistolae superioris totidem ejus verbis expressimus, in eo est sita, ut nec probabilibus, nec probabilioribus argumentis contenta sit, sed postulet, ea sint ita moraliter evidentia, *ut intellectus nec dissentire positive possit, nec prudenter formidare, dicendo rem fortasse aliter se habere*. Itaque si contra principia inferius considerанda aliqua probabilis vel minus probabilis ratio seu auctoritas mihi afferatur, ob quas si non omnino dissentiendum sit, saltem de illis prudenter sit formidandum; jam ea carebunt illa morali certitudine, quae ad memoratum principium reflexum requiritur. Id non inficiatur Dissertator, unde vel initio dissertationis tertiae fatetur, praesentem controversiam in hanc quaestionem resolvi, *an ad efformandum ejusmodi dictamen ultimum reflexum moraliter certum sufficiat opinio probabilis favens libertati etiam in conflictu opinionis faventis legi aeque vel magis probabilis*. Debuerat quidem potius scribere, quaestionem resolvi in hanc, *an detur dictamen reflexum moraliter certum, quo liceat sequi opinionem probabilem &c.* Sed quando propositae quaestionis substantia eodem recidit, nec aliud agit sequentibus sectionibus, quam plura ejusmodi principia constituere, sine jam cognoscamus, num propositum ex sententia exaequarit.

§. I I.

Refellitur primum principium sumptum ex ignorantia invincibili.

PRimum principium, *cui potissimum*, inquit, *nobis insistendum puto*, est ex ignorantia invincibili. Multa in hanc rem scripta sunt cap. 1. sect. 1. omnia-

que

que in eo versantur, ut probetur, illum, qui errat inter opiniones probabiles, laborare ignorantia invincibili, quae a peccato excusat. Id autem eo argumento se demonstrare putat, quod homo adhibita etiam studendi, atque orandi diligentia, saepe sine sua culpa ignoret veritatem in quamplurimis quaestionibus, quae inter Catholicos Doctores probabilibus utrinque argumentis disputantur. Hoccine principium moraliter certum, quo exploratum sit licere sequi opinionem benigniorem etiam minus probabilem? Attende quot ex capitibus nutet. Inprimis esto Dissertator recte probarit eum, qui errat inter opiniones probabiles, errare invincibiliter, nec eo nomine peccare, quod veritatem ignoret; numquid eum non peccare probat, quod grave & prudens errandi & peccandi periculum non fugiat? Nos non idcirco gravis noxae reos traducimus illos, qui sequuntur opiniones benigniores aeque vel minus probabiles, quod gravi sua culpa veritatem non assequantur, quam & nos saepe nec assequimur, nec assequi nos posse videmus; sed eam ob caussam, quod in hac veritatis ignoratione errandi atque peccandi periculo & gravi & prudenti sese ultro exponant, cum illud declinare commode possent, si modo tutam sententiam sequerentur. Vera ne haec tuta sententia, an falsa sit, quatenus praeceptum, quod forte non est, vel prohibitionem inculcat, istud ad praxim quod pertinet, nihil officit; nam ipsis quoque Probabilistis concedentibus sententia, quae tuta est, peccandi periculo certissime caret, & in hoc exploratam continet veritatem. Qui ergo tutissima hac sententia dimissa in benigniorem opinionem descendit, quam gravi, prudenti, ac proximo etiam peccandi periculo obnoxiam ex directis probabilibus principiis ipsi Probabilistae concedunt, etsi non peccet, quod ignoret verum, peccare tamen

con-

convincitur, quod tam grave periculum adeat. Quid ad haec principium illud de invincibili veritatis ignorantia?

Dein prima in epistola satis docuisse mihi videor, quanam aequivocatione Dissertator fucum faciat, cum agit de ignorantia invincibili atque inculpabili. Duo in opinionibus distinguenda sunt, veritas & error. Licet autem illa invincibilis, atque inculpabilis fuerit, hic tamen invincibilis, & inculpabilis nulla ratione dici potest. Lege scripta superius, ubi docuimus, inter opiniones, probabiles in quibus non elucet veritas, prudentiam postulare, ut ad evitandum errorem teneamus assensum, id quod multo magis valet in opinionibus, in quibus error peccandi periculum continet. Dissertator quidem hac sectione nonnihil attingit, ut probet inculpabilem adhuc esse errorem, siquis oboriatur, eo quod non teneamur dubitare. At id probat miro prorsus argumento, in quo cum certum principium reflexum situm praedicet, ejus verba recitare placet. Proposita ergo difficultate, quam nos objecimus, respondet nos non obligari ad cohibendum assensum, cum ejusmodi dubitatio dissolvi possit per certum dictamen de licentia operationis, quod *conficitur*, inquit, *hoc discursu. Quoties prudenter judicare possum legem aut non existere, aut sufficienter publicatam non esse, toties non est periculum peccandi formaliter contra legem: sed stante opinione certo probabili pro libertate etiam in conflictu probabilioris pro lege possum prudenter judicare legem, aut non existere, aut sufficienter publicatam non esse: ergo stante opinione certo probabili pro libertate etiam in conflictu probabilioris pro lege non est periculam peccandi formaliter contra legem. Haec consequentia est ipsum dictamen certum de licentia operationis: certum, inquam, quia descendit ex praemissis certis. nam certa est major, ut per se patet; certa quoque est minor, quia stante opinione probabili pro libertate sciri non potest, an*

detur

detur lex, atque hoc propter fundamentum magnum in existimatione prudentum suadens legem non esse; neque enim opinio ulla potest esse certo probabilis, quin nitatur fundamento gravi, & magno in aestimatione prudentum. Quamdiu autem sciri nequit, an detur lex, atque hoc propter fundamentum magnum, ut supra; prudenter utique (1) *judicare possum, aut legem non existere, aut sufficienter publicatum non esse. Ergo tunc potest quisque habere dictamen certum de licentia operationis.* Mirum dixi, hocce argumentum, tum quod inde evellitur radicitus illud principium reflexum, de quo hic nobiscum est sermo; tum praesertim quod minoris probatio, unde pendet argumenti vis, est prorsus falsa. In primis Dissertator quum hic probare contendat, nos non teneri dubitare; supponit utique dubitare nos posse. Si vero possumus ambigere, & ambigendo errorem, si quis esset, vincere, ut ille ipse non audet inficiari; nonne satis habemus, ut ignorantia, seu error nequeat appellari invincibilis? Itaque vel per hoc Dissertator aperte destruit illud reflexum principium, quod ab ignorantia invincibili ducendum, & fusiori calamo constituendum sibi proposuit. Dein quae duo in probatione minoris disjunctive affirmantur: *prudenter judicare possum aut legem non existere, aut sufficienter &c.* etsi ad certitudinem minori conciliandam certa esse deberent, sunt nihilominus plane falsa. Ex quo quis inter opiniones utrinque probabiles *scire nequit, an lex detur*, fundamenta gravia non tam pro negatione, quam pro affirmatione legis habet. Qui vero neglectis gravibus fundamentis pro affirmanda lege, judicare vellet legem non existere, nonne temere, & imprudenter judicare convinceretur, non minus ac haberetur imprudens, qui e contra neglectis gravibus

I fun-

(1) In priori editione pro *judicare* legebatur *dubitare*; ita enim perspicue habet exemplar, quo in lucubrandis hisce epistolis usus sum, uti multis viris integerrimis ostendi, & cuilibet, si placeat, ostendam. Sed quoniam etiamnum diligentia, qui singula insigniora testimonia ex dissertationibus a me excerpta accurate contuleram cum aliis exemplaribus, diligentia, inquam, istorum deprehensum est, hoc loci meo exscriptori errorem qui accuratissimo in excipiende lectione a Dissertatore errorem obrepsisse, quippe alia aliorum exemplaria habent *judicare*: ejus rei monitos, meae fidei interesse putavi, hanc lectionem, quae suspectam Dissertatoris fallaciam removet, recuso folio, actutum restituere, & ne quid ad argumentum illius refellendum desit, nonnulla adjicere.

fundamentis pro neganda lege, eam existere vellet judicare? Huc sane spectant, quae ex Dissertatore recitavimus pag 41. eorumque ipse, dum haec scriberet, videtur oblitus, siquidem sibi constans, prudens hic non appellaret illud judicium, quo quis adhaeret uni parti, & sine ullo certo principio fundamentum grave alterius partis negligit, vel tamquam leve imprudenter transilit. Itaque cum prudenter acturus neutrum judicare debeat sive affirmando, sive negando: reliquum est, ut prudenter debeat dubitare, num lex existat nec ne. Eadem porro ratio, qua liquet dubitandum prudenter de legis existentia, probat quoque dubitandum esse de sufficienti legis promulgatione; fundamenta enim gravia, quae menti occurrunt pro lege, promulgationis vicem gerunt: quae tamen fundamenta cum prae oppositis dubitatione non careant, dubitatio [illegible] inde satis idoneae promulgationis exoritur. Neque reponat Dissertator, quod si dubia est lex, & dubia legis promulgatio, certa inde obligatio redire nequit. jam enim relicto principio reflexo, de quo in praesentiarum agimus, ducto ab ignorantia invincibili, ad aliud principium valde diversum se se reciperet, quod sumi solet a legis incertitudine, de quo plura §. 5. Satisne huc usque dicta ad hoc primum reflexum principium refellendum?

§. III.

Expungitur alterum principium ductum ab auctoritate.

ALterum principium cap. 2. sect. x. exhibitum, est ab auctoritate eorum, qui probabilitatem defenderunt. Multa possem considerare ad hujusce principii imbecillitatem demonstrandam. Cum tamen ea luculentius considerata sint nobis in edito libello cap. 8. quid coctam, ut ajunt, crambem recoquamus? Dissertator autem nihil fere reponens ad ea, quae ibidem animadvertimus, ejusmodi observationes congerit, quae vel a nobis eo capite satis expunctae sunt, vel sunt indignae, quae reiciantur: cujus

gene-

generis est illud, cum ad infirmandam auctoritatem nonnullorum, qui adversus probabilitatem tractatus edidere, ait, eos non fuisse lectores Theologiae, vel Theologiae operam non dedisse; ac si bonus Theologus esse nequeat, qui vel Theologiam non docuit, vel illi in scholis impensius non studuit. Mitto, quod cum nobis, & iure, unum auctorem adimat eo nomine, quod sententiam probabiliorem arctius docuerit, quam a nobis docetur, & in damnatam propositionem inciderit: eodem plane nomine ipsi Dissertatori plerique Probabilistae, quos allegat, adimuntur, quippe qui latius, quam ipse, probabilitatem produxere, & in damnatas circa probabilem doctrinam propositiones incurrerunt. Mitto, quod falso supponit, nec probat, praesentem controversiam haud *ex professo* tractatam a veteribus ante saeculum XVI. eosque non aliam sententiam sequutos quam Probabilistarum: id enim utrumque fuse rejicietur in Dissertatione historica de probabilitate, cum eam digerere per tempus licuerit. Mitto, quod inconsiderate texit catalogum eorum e Societate, qui probabilitatem ex proposito tradidere: his enim accenset non solum Cardinalem Toletum, qui nec ex proposito eam quaestionem disputavit, nec in loco, qui allegatur, quidpiam affirmat, quod ad probabilitatis, sed ad aliam prorsus controversiam pertinet (unde cum eodem idipsum plane sentiunt aliquot Probabilioristae) verum etiam annumerat Cardinalem Pallavicinum, quem tamen probabilitatis olim defensae insignem palinodiam cecinisse in edito libello monuimus. Mitto tandem, quod cum Dissertator ex numero, doctrina, & pietate, Probabilistarum auctoritatem amplificandam suspiciat, ego haec singula majora multo in Probabilioristis possem demonstrare, & demonstrabo, siquis urgeat.

Sed his, aliisque pluribus, quae ad probabilismi auctoritatem infringendam possem considerare, interim

praetermissis (nam in historica Dissertatione de his plerisque opportunior & uberior redibit sermo) istud unum, quod ad propositam thesim maxime pertinet, adversus Dissertatorem hoc loco persuadere satis superque fuerit, si ostendero hoc principium ab auctoritate non esse moraliter certum. Enimvero qua ratione certum dici potest principium ab auctoritate extrinseca, si multi utrinque sive plures, sive pauciores docti homines pugnent? Fieri quidem potest, ut argumenta pauciorum, sive plurium auctorum ita mentem cujuspiam convincant probabilius, ut moralem certitudinem penes ipsum assequantur: at id non ex alterutrius partis auctoritate erit, sed praecipue ex rationibus, quae probabilitatis excessu hominis assensum expugnent. Verum si ab utriusque partis rationibus praescindatur, uti praescindit Dissertator, cum hocce principium inculcat; sola auctoritas, quae utrinque probabilis est, ad majorem, vel minorem probabilitatem conciliandam valet aliquid; ad tantam vero probabilitatem, quae per excessum extorqueat assensum, moralemque certitudinem gignat, nihil valet. Itaque etsi Probabilistarum auctoritas vere gravis per se consitenda sit; cum tamen gravis quoque negari nequeat auctoritas Probabilioristarum, quis hoc tantum ex capite moralem certitudinem colligere audeat? Neque negarim quandoque auctoritatem unius partis per se tantum praestare auctoritati alterius, ut haec ejus excessu, qui apertus sit ac manifestus, improbabilis & levis appareat. Sed numquid tantus ac tam perspicuus affirmari potest excessus in auctoritate Probabilistarum? Ejusmodi forte videri poterit illis, qui solos Probabilistas norunt, & eorum numerum atque doctrinam unice cognoscunt, & plurimi faciunt. At ei, qui vel solum Probabilioristarum catalogum a Dissertatore omissum aliqua ex parte legerit, tam multa, ac tam celebria nomina occurrent, ut, nisi sit plane hos-

pes in litteraria historia, sin minus hos praeferat Probabilistis, aut pares faciat, gravem tamen suo in animo fluctuantionem experiatur, & tantorum virorum vel sola commemoratione perculsus, de hoc auctoritatis principio cogatur dubitare. Qui ergo inde elici poterit principium moraliter certum? Hinc quidam auctor, qui prolixum volumen pro doctrina probabili olim edidit sub nomine Nicolai Peguleti, nuper in alio opusculo pro eadem doctrina lucubrato sub nomine Angeli Capezioli, haec in fine scripta reliquit. *Delle dette dottrine non si possono servire i Francesi, perchè quel Clero Illustrissimo adunato nel 1700. in S. Germano* ad comitia generalia *avendo proibito manifestamente il Probabilismo, a legge manifesta è necessaria l'obbedienza, nè la stessa probabilioritá scusa il fare il contrario. Ma perchè la Legge de' Vescovi particolari non obbliga fuori del territorio, perciò ad una tal legge non siamo soggetti. Nondimeno non potendo negare la probabilità a tal legge per essere stata fatta da moltissimi e sapientissimi uomini; quindi soura la probabilità non potiamo fondare il dettame certo necessario alla buona operazione, perchè un' opinione non può essere certa, se concediamo esser probabile la contraria. E questa è la cagione, per cui nel mio trattato diceva, e ripeteva, ed ora dico, e ripeto, che principalmente per l'autorità del Clero sapientissimo di Francia non potevo io essere Probabilista in pratica.* Tantum ad moralem probabilis doctrinae certitudinem excludendam unius Cleri Gallicani potuit auctoritas apud hominem probabilitatis patronum, cui ceteroquin persuasum erat & S. Thomam, & S. Antoninum, & veteres plerosque cum Patres, tum scholasticos probabilitati favere, ut ex fusiori tractatu ejus liquet. Quid autem si praeter Galliarum Episcopos in generalibus comitiis (cui parem sane auctoritatem ab Ecclesiae Praesulibus) in unum coactis prudenti publicoque decreto sancitam pro sua doctrina Probabilistae nullam afferre queunt) alios

alios praestantissimos, ac doctissimos cujusque Ecclesiasticae dignitatis, atque Ordinis homines exhibeam tum ex Hispania, tum ex Germania, tum ex Italia nobiscum plane sentientes? Quid si palam fiat, omnes antiquos, qui ab eo auctore probabilitari adhaesisse crediti sunt, non aliam quam nostram sequuros fuisse sententiam: quae omnia ex historica dissertatione constabunt. Num Dissertator, aut alius quispiam tantae auctoritati nihil tribuens probabilitatis, ei auctoritati, quae sibi favet, nedum probabilitatem, sed moralem certitudinem vindicare adhuc poterit, adeo ut eamdem per se tamquam principium reflexum moraliter certum haberi velit? Sed veniamus ad alia.

§. VI.

Evertitur tertium reflexum principium sumptum ex axiomate, in pari delicto, vel caussa melior est conditio possidentis. *Duae Dissertatoris criminationes rejectae.*

TErtium principium, quod Dissertator exponit sect. 2. capitis primi, est illud axioma apud Probabilistas celeberrimum: *In pari delicto, vel caussa melior est conditio possidentis*. Verum praeter quam quod hocce axioma extendi nequit ad eos casus, in quibus probabilitas non est utrinque par; siquis legat, quae nos in hanc rem disseruimus cap. *6.* §. *3.* ad Probabilistarum conatum, quem inde moliuntur, elidendum, nihil desiderabit. Cognoscet nimirum hanc regulam juris valere tantum in foro externo ob praesumtionem, quod res sit ejus qui possidet, nisi probetur: in interiori autem foro, ubi non valet ejusmodi praesumtio, sed in dubiis peccandi periculum spectatur, ex ipsis canonibus semper valuisse intelliget illud principium, *in dubiis tutior pars est eligenda*. Dissertator vero etsi multa dictarit,

ibi-

ibidem a me dictis haud ex aequo satisfacit, nisi supponendo, secunda dissertatione a se demonstratum, axioma *in dubiis tutior pars est eligenda*, esse consilii, non praecepti, quod fuse refellimus epistola superiori.

Canonibus, quos ego in rem meam attuli, nec ille satis commode explicare potuit, quatuor alios canones opponit, in quibus putat valuisse regulam *in dubiis melior est conditio possidentis*. Primo can. *Qui culpabile* caus. 23. quaest. 1. ubi traditur, subditum posse militare jubente Rege, si certum non sit, bellum esse iniquum: secundo can. *Sicut quaedam* dist. 14. ubi scriptum est *in his, quae vel dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod neque praeceptis Evangelicis, neque decretis Summorum Pontificum inveniatur adversum*. Tertio can. *Cum jure* de officio & potestate Judicis delegati, ubi declaratur, *Nisi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur*. Tandem can. *Inquisitioni* de sententia excommunicationis, ubi praecipitur: *Cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti, reddere potest, sed petere non potest debitum; ubi sermo est*, commentatur Dissertator, *de conjuge dubitante de valore matrimonii, in quo casu, quamvis tutius esset abstinere a redditione debiti, non tamen obligatur conjux dubitans, quia scilicet pro altero conjuge bona fide petente debitum est possessio*. Sed Canon secundus quatenus ad regulam de possessore pertineat, nec Dissertator explicat, nec ego satis intelligo. Porro alii tres Canones ad rem praesentem nihil faciunt; nos enim hic de dubio agimus, ob quod in dubitationem veniat possessio libertatis nostrae; quam possessionem, etiamsi esset vere legitima, sine ullius injuria violare possimus: in tribus autem memoratis canonibus agitur de dubio possessionis alterius, quam, nisi quid majus urgeat, sine magna injuria nemo laeserit. Dein cur in illis canonibus in favorem tertii decisum sit, non axioma de conditio-

ne

ne possidentis fuit in caussa, sed quod in circumstantiis ejusmodi agenti duplex utrinque peccandi periculum immineret, sive ageret, sive non ageret (unde perperam Dissertator affirmavit in quartum canonem, conjugi dubitanti de valore matrimonii, *tutius esse abstinere a redditione debiti*, ac si nullum in negando debito periculum sit) quibus in angustiis majus malum, seu majoris mali periculum ut declinaretur, jure praeceptum est. Vide de hoc plura cap. 6. §. 7. Hac etiam de caussa in obscuris & dubiis, ut habent aliae juris regulae, *reo potius favendum est, quam actori*. & eamdem quoque ob rationem judex, qui non de sua re, sed de rebus alterius sententiam pronunciat, in dubio possessorem cum injustitiae periculo exturbare non debet a re possessa, ut illam in alium transferat; cum praesumptio sit major ex ipsa possessione, legitimum rei esse dominum, qui eam bona fide, ac titulo jamdiu possidet, quam alium, qui obscuris documentis aliquando erumpit. & in hanc tandem sententiam invaluit apud Judices, qui in foro exteriori de possessionibus aliorum dijudicant, axioma *in dubiis melior est conditio possidentis*. In foro autem interno siquis etiam de re possessa probabiliter dubitet, nec se ab ea dubitatione rite expedire queat, cum nullum subeat periculum laedendae per injuriam possessionis alterius, eodem principio, quo judices in foro externo, uti non potest. Itaque male Dissertator laudatos Canones, qui alio spectant, quam praesens quaestio efflagitat, ad rem suam statuendam adduxit, ut opponeret aliquid iis Canonibus, qui non minus incongrue ab ipso explicati, aperte faciunt pro nobis. Quid porro reponit postremo canoni *Inquisitioni*; ubi non permittitur conjugi ea libertas petendi, quae in reddendo debito conceditur? Numqu id petitioni non suffragatur possessio? Suffragaretur per se, inquit Dissertator cum P. Sanchez, sed in

casu

casu petitionis ejusmodi suffragatio deficit, *quia libertatem aufert lex idipsum expresse prohibens citato capite Inquisitioni*. O egregiam responsionem! Quaero, num Pontifex eo canone possessionem libertatis, quae in petendo non minus, quam in reddendo debito per se effertur a Dissertatore, sine ulla caussa atque ratione ex sola praecipiendi voluntate conjugi ademerit. Nihil minus. Si vero ex jure possessio aeque favet petenti ac reddenti, cur ei uni libertatem speciali prohibitione detraxit, possessionisque naturale, ut putatur, jus irritum fecit? Dissertator ad haec vel reponet praecise, quia ita Pontifici placuit, & sic nihil dicet, atque ad principium recurret; vel saniori responsione afferet eam ipsam rationem, quae satis indicatur in Canone, nobisque fuse exposita est cap. 6. §. 7. ideirco nimirum Pontifex reddendum censuit debitum, non autem petendum, quia in non reddendo, eum petitur, majoris culpae periculum est, & violandae legis conjugii; in non petendo autem, peccandi periculum nullum impendet. Si possessio staret pro petente & per se illi suffragium ferret, Pontifex, qui in reddente debitum possessionis jura sarta tecta haberi voluisse creditur, in petente etiam illa servasset. Sed hujusce possessionis rationem nullam habuit, quia vere in foro conscientiae nulla est; & solum respexit ad peccandi periculum, & ex eo definivit abstinendum a petitione juxta aliud axioma in aliis Canonibus recantatum, quodque vim praecepti habere judicatum est, *in dubiis tutior pars est eligenda*.

Neque pluribus opus esset ad evertendum principium *in dubiis melior est conditio possidentis*. Sed hactenus dictis addi praeterea potest, quod a Probabilistis perperam supponitur, hominis libertatem potius quam legem esse in possessione. Fac par sit utrinque controversia, num quaedam emptio justitiae adversetur. Si ob dubi-

tationem, quae hinc enascitur, incertum esset, an detur lex injustitiam interdicens, tum dubia esset legis possessio, libertatis autem possessio certior. At nonne certum atque exploratum est, dari legem quascumque injustitias prohibentem? Dubium ergo solummodo est, an haec particularis emptio, de qua quæritur, ea lege comprehendatur, seu potius an circumstantias babeat ejus injustitiae, quę per eam legem certissime interdicitur, & an liberum proinde homini sit illam emptionem honeste stipulare. Itaque dubium proprie circa actum particularem emptionis, & circa libertatem hominis in ea stipulanda versatur, non autem circa legem, quae utpote generalis, cuique est cognita & manifesta; ut pluribus documus paulo ante finem prioris epistolae. Quomodo igitur certam possessionem libertatis in hisce dubitationibus quis inculcet adversus possessionem legis, cum potius legis certissimam possessionem adversus ambiguam possessionem libertatis deberet ingerere? Ex his porro eliditur ratio a priori, quam Dissertator recitat, cum supponat libertatem esse in possessione certa sui adversus legem, quam in dubio vel nullam, vel non sufficienter promulgatam supponit. Fallitur, nam cum quidpiam dubium est in humanis actibus maxime ad naturalem legem pertinentibus, non est proprie dubium de lege, quae per se universalis, & certa est, & idcirco certam possessionem obtinet; sed dubium est de actu, seu de facti circumstantiis, ac propterea de libertatis possessione dubitatur. Neque praetermittendum videtur, quod Dissertator quosdam casus excipiens a regula *in dubio melior est conditio possidentis*, scribit inter cetera. *Si certo constet de lege lata, & solum quis dubitet, an de facto sit in casu exemptionis, ex. gr. an creditor remiserit debitum, vel an satisfecerit legi ex. gr. recitando horas canonicas, vel an gaudeat dispensatione, seu impedimento excusante ab observatione legis ex. gr. praecipientis jejunium;*

tunc

Digitized by Google

tunc est in possessione non libertas, sed lex; quia stans pro libertate tenetur sufficienter probare suam exemptionem, vel satisfactionem adversus legem certam. Ex his autem ego infero, quod cum semper constet de lege, maxime naturali, ut superius statutum est; tum quoque qui dubitat, an actus particularis sit in casu exemptionis, vel prohibitionis, pariter est in possessione non libertas, sed lex. Similiter eadem sectione, sed alio loco, idem Dissertator ait, quod cum quis emit quidpiam bona fide, si postea in dubitationem veniat, num illud fuerit furto sublatum, *jam incipit esse malae fidei possessor, pro quo non militat axioma illud, in dubio melior est conditio possidentis*. Hoc mihi favet quam mirifice. Si bonae fidei emptor superveniente probabili dubitatione fit malae fidei possessor, nec illi favet principium *in dubio melior est conditio possidentis*; cur de probabili dubitatione in controversia morum loquentes, pariter non dicamus libertatem inde non perseverare in possessione bonae fidei, in qua fuit, quamdiu nulla incidit probabilis dubitatio, nec tum ipsam juvare quidquam memoratum principium? Neque Dissertator reponat se quidem fateri eum malae fidei esse possessorem, qui speculative dubitans, nulla diligentia adhibita in veritatis investigatione, practice dubitare nolit; at si adhibita diligentia adhuc ignoretur, num lex vere detur nec ne, tum ignorata invincibiliter legis possessione, libertatis possessio malae fidei argui non debet: neque, inquam, id reponat Dissertator; nam hoc ad summum probaret, possessionem libertatis esse fidei haud malae, non per regulam, *in dubiis melior est conditio possidentis*, sed per aliud principium sumtum ex ignorantia invincibili, quod cum superius §. 1. rejectum sit tamquam falsum, malae fidei possessio in libertate excusari inde non potest.

Sed haec omnia missa faciamus, ac si dicta non essent, vel nihil probarent. Affero jam argumentum,

cui ad sustentandam libertatis possessionem responderi aequa ratione nequeat. Libertas si in possessione certa dici possit, potest dici, ubi de incerta lege agitur, non autem ubi de certa. Porro demus nunc, quod inficiati possemus, legem particularem in nostro casu esse incertam, uti supponunt Probabilistae, qui tot leges dari putant, quot casus particulares, nec satis intelligunt, quod nobis observatum est ep. 1. §. 4. leges praesertim juris naturae esse per se universales, & certas, nec ullum particularem casum indicare. Demus, inquam, hoc; at nonne generalis lex certissime extat, qua praecipitur, ut in dubiis particularibus, ubi probabile peccandi periculum est, tutiorem partem sequamur? Hanc generalem legem omnino certam sequenti paragrapho demonstrabimus. Lex ergo ejusmodi cum in certa possessione sit, quis adhuc certam libertatis possessionem velit comminisci? Itaque etsi possit dici in possessione libertas adversus legem particularem, quae incerta creditur: cum tamen non possit aeque dici in possessione adversus legem generalem, quae certa prorsus est; jam frustra in praesenti controversia urgetur principium, *in dubiis melior est conditio possidentis*, ut libertatis possessio a tutioris partis ineundae praecepto adversus legem generalem certissimam eximatur. Hujusce argumenti demonstratio a demonstratione legis generalis paragrapho sequenti afferenda maxime pendet. Tandem si animadversiones hactenus propositae non omnino persuadent, memoratum Probabilistarum axioma ex conditione possessionis pro ipsorum caussa nihil conficere, nonne saltem gravem & probabilem dubitationem movent? Id autem mihi satis est, ut perspicuum fiat, ejusmodi principium non esse moraliter certum, nec aptum quod Dissertatori moralem certitudinem postulanti suffragetur.

Ne-

Neque vero hujus paragraphi finem facio, antequam me a duabus Dissertatoris criminationibus vindico. Primum is me pungit, ac si ex occasione axiomatis, *in dubio melior est conditio possidentis*, perperam adduxerim locum S. Antonini 2. p. c. 12. §. 17. mihi fingens, *eum ibidem loqui de homine, qui emit bona fide, cum loquatur*, inquit, *de eo qui mala fide emit, dubitans scilicet, an a venditore res furto sublata fuerit*; idque colligit ex postremis verbis paragraphi ejusdem 17. ubi ille scriptum reliquit: *Consulendum est cuilibet, ut abstineat ab emtione talium. Quid autem significat*, subdit Dissertator, τὸ ab emtione talium, *nisi ab emtione eorum, de quibus dubium est, an sint aliena? At quonam pacto abstinere quis possit ab emtione talium, si dubium non praeveniat, sed subsequatur emtionem? Ergo ibi sermo est de eo, qui dubitans emit, non autem de eo, qui post emtionem dubitare incipit*. Sed Dissertator isthaec potius sibi confinxisse mihi videtur. Quaestionem his verbis S. Antoninus proponit. *Quid si dubitat* homo, *utrum illud, quod habuit per donum, vel per emtionem sit de rapina, furto, & ejusmodi?* De homine quidem ambigente hic agit, sed ambigente de eo *quod habuit per donum* &c idest agit de dubio, quod post donationem, vel emtionem subortum est, non autem de dubio, quod donationem, vel emtionem praecesserit, vel comitetur. Id luculentius apparet ex iis ipsis verbis sub finem paragraphi relatis (si modo integra, & non mutila reddantur) unde suam explicationem confirmari Dissertator putavit. Soluta ergo proposita quaestione per ea verba, quae in edito libello recitavimus cap. 6. §. 3. S. Antoninus loquens postremum non proprie de eodem omnino casu, ut sibi fingit Dissertator, sed de iis, qui emerunt *res raptas ab inimicis in bello manifeste justo*, & postea in dubitationem irrationabilem venere, definit quidem hos debere inane dubium deponere, & si minus id valeant, debere suae

con-

conſcientiae ſatisfacere per reſtitutionem: at in emtione rerum ejuſmodi hocce generale conſilium dat : *Conſulendum eſt cuilibet, ut abſtineat ab emtione talium* (rerum nimirum raptarum in bello) *qua multa poſſunt occurrere dubia*, videlicet poſt emtionem, etiamſi inita fuerit ſine ulla dubitatione de belli juſtitia, immo cum bellum juſtiſſimum crederetur. Sed ea poſtrema verba, quae mihi favent, Diſſertator reticuit. Pungit me rurſum multo vehementius, tamquam hominem *ridiculum*, quippe qui dixerim, quandoque regulam in dubio melior eſt conditio poſſidentis valere etiam in foro interno, *cum rationes faventes poſſidenti omne dubium morale auferunt: Hoc enim*, inquit, *idem eſt ac dicere, regulam in dubio &c. valere, cum poſſeſſor non eſt in dubio:* tum illudens concludit. *Multum ſane debebunt Anonymo noſtro Theologi morales, & Caſuiſtae, ob mirabilem interpretationem & doctrinam plane reconditam, quam, credo equidem, illorum nemo antea novit*. Reponam Diſſertatori Auguſtinianum illud: *Redde verba mea, & evaneſcet calumnia tua*. Numquam ſcripſi illud axioma aliquando poſſe valere etiam in foro interno, *cum rationes faventes poſſeſſori omne dubium morale auferunt*, ſed cum poſt diuturnam bonae fidei poſſeſſionem quaeſtio intentetur, & dubium moveatur ex intrinſecis cauſſae fundamentis, ita tamen ut ex ipſa nihilominus pacifica poſſeſſione graviſſimum argumentum ſumi queat, unde omnis ea dubitatio rite diſſolvatur; & praeterea notavi rationem, quae meam ſententiam ab omni abſurdo, vel contradictione alienam evidentius declarat. *Non voglio*, inquam, *tuttavia negar, che in qualche caſo la ſuddetta regola non renda ſicuro ancora in coſcienza; e ciò avverrà quando dal poſſeſſo di notabile tempo, e dal lungo ſilenzio del petitore ne riſulti un veemente fondamento di credere, che veramente la coſa ſia ſua, e che li fondamenti dell' avverſario ſiano deboli, e leggeri. In tali circoſtanze ſi potrebbe acquetar l'animo, non per-*

chè

chè in dubio melior sit conditio possidentis, *ma perchè un tal possesso aggiunto alle ragioni proprie, tanto prevale alle contrarie, che toglie ogni dubbio morale*. Sed levis sum, qui tam multis levissimam objectionem refellere nitor.

§. V.

Quartum principium expunctum.

TRanseo jam ad examen quarti principii, quod ab incertitudine legis sumitur. quae cum in dubio vel nulla sit, vel non sit sufficienter promulgata, certo, inquit Dissertator, non obligat. Sed inprimis incerta perperam traditur lex, cum quid in controversiam cadit; siquidem lex praesertim naturalis, ut paulo ante monuimus, est per se universalis, & certa, dubium autem in actibus particularibus, & in facto versatur. Dein falso supponitur, leges, siquae actus particulares afficiunt, debere esse certas & exploratas, ut earum servandarum certa urgeat obligatio. Nonne etiamsi particularis lex sit incerta, lex generalis, quae praecipit in dubiis utrinque probabilibus eligendam partem tutiorem, certissima est, ut cap. *6.* §. *1.* animadvertimus? Hujus autem generalis legis certitudo ut planius demonstretur (id enim demonstrare ad rem praesentem maxime interest) hoc argumento uti placet. Certum est non licere, exponere se periculo gravi, & probabili peccandi; cum ejus evadendi potestas suppetit. Sed certum est, eum, qui operatur id, quod propter probabilia, ac gravia argumenta probabile est esse peccatum, exponere se gravi, & probabili periculo peccandi, cum ejus evadendi potestas suppetit, declinando scilicet in partem tutiorem. Ergo certum est non licere operari, quod propter gravia & probabilia argumenta probabile est esse peccatum. In prio-

ri

ri propositione nihil est dubii; fatente enim ipso Dissertatore thesi 1. differt. 1. (cujus verba retulimus fuse ep. 2. p. 40.) *Nemini licet voluntarie exponere se periculo probabili peccandi, quia periculum probabile est periculum prudenter timendum, ideoque vitandum*. Altera autem propositio non minus est certa; quippe quod vel per eumdem Dissertatorem conceditur gravia & probabilia peccati argumenta grave, & probabile, imo etiam *proximum* peccandi periculum adstruere. Itaque conclusio, quae ex praemissis manifeste, & rite deducitur, pariter est certa; & in hac per se evidenti satis demonstrata exprimitur lex illa generalis, quae certo praecipit in dubiis eligendam partem tutiorem, ut ne gravi, & probabili peccandi periculo, quod est in parte minus tuta, nos voluntarie exponamus, operemurque, quod per gravia, & probabilia argumenta probabile est esse peccatum. Hanc legem noverunt Ethnicorum sapientes, qui vetabant, Tullio teste, quicquam fieri, *quod dubites aequum sit, an iniquum*. Haec non latuit ipsos Magistros Hebraeorum, ut in historica dissertatione ostendemus. Ex hac tandem enata illa juris Canonici regula, quam vim praecepti habere persuasimus ep. 2. *in dubio semitam debemus eligere tutiorem, in dubio via tutior eligenda est*: ubi animadverras velim, idem esse dicere *in dubio*, ac dicere, *dum incertum est, an lex particularis existat*. Tantum igitur abest, ut si sive Ethnici, sive Hebraeorum magistri, sive Canonum auctores, quibuscum stant omnes veteres Scholastici, & Canonistae, ex incertitudine legis particularis nullam legem esse collegerint in dubiis probabilibus, quin potius generalem legem certissimam, quam superius demonstravimus, inde evidentissime deduxere. Soli ergo Probabilistae legis particularis incertitudinem in eam sententiam toti antiquitati ignotam primi acceperunt, ut in ipsa potissimum suae doctrinae reflexum principium

um ſtabilirent. Sed praeter tantae contrariae auctoritatis, qua ea generalis lex confirmatur, difficillimam interpretationem, quamdiu non probent, quod probare impoſſibile videtur, in dubiis utrinque probabilibus vel licere ſe exponere gravi, & probabili peccandi periculo, vel eum, qui minus tutam opinionem ſequitur, haud ſe ſe exponere opinioni, quae grave, & probabile peccandi periculum continet; ad expungendam memoratae legis generalis certitudinem nihil conficient. Scio illos ad haec reſponſuros, eam generalem legem, quam Ethnici, Hebraei, & Canones inculcant, valere in dubio practico, non autem in ſpeculativo: quippe quod in illo, non vero in hoc peccandi periculum imminet. At inprimis cum in dubio, licet practico, lex adhuc incerta ſit, hic quoque valere deberet principium ab incertitudine legis ſumtum, ſiquidem in hoc quoque dubio lex particularis incerta vel nulla eſt, vel non eſt ſufficienter promulgata. Quod ſi hic non valet laudatum reflexum principium, facile intelligimus illud non eſſe per ſe efficax, nec habere eam vim, quam ipſi Diſſertator cum Probabiliſtis tribuit. Praeterea dubium ſpeculativum illud dicitur, quod a principiis directis pendet, practicum, quod reflexa potiſſimum reſpicit. Cum ergo Diſſertator concedat dubium ſpeculativum inter probabiles opiniones obtinere; concedit per gravia & probabilia directa principia grave & probabile peccandi periculum impendere. Id autem nonne ſatis eſt, ut in hoc dubio, non minus quam in practico, vim habeat generalis illa lex, qua grave & probabile peccandi periculum declinandum praecipitur? Reſpondent Probabiliſtae id periculi ſatis eſſe ſublatum, ſi abſit dubium practicum. Sed cum hoc practicum dubium tollatur per principia reflexa certa; non aliter ſupponi poteſt ſublatum, quam ſupponantur conſtituta ejuſ-

modi principia, qualia nec hactenus constituta vidimus, nec, ut confido, deinceps videbimus. Quod si quod etiam principium hujus generis afferri posset, ut dubium practice sublatum probetur, illud non ex particularis legis incertitudine, sed aliunde esset deducendum. Ostendimus nimirum, & Dissertator non negat, legem generalem certissime adesse (licet particularis sit incerta) qua in dubio saltem practico vetamur agere, quod probabile est esse peccatum. Quo in casu cum supponatur incertitudinem legis particularis posse conciliari cum dubio practico, & generalem legem non excludere; frustra dubium practicum inde sublatum probatur, quod lex particularis sit incerta, & frustra pariter ex particularis legis incertitudine lex generalis expungitur. Id autem mihi sufficit, ut pateat principium ex particularis legis incertitudine petitum ad rem praesentem nihil conferre. Dicat nunc Dissertator: *stante dubio probabili lex*, utique particularis, *vel nunquam lata fuit, vel non est sufficienter promulgata*, quibus verbis tota ratio ejus principii, quod ab incertitudine legis ducitur, per eumdem Dissertatorem exprimitur: dicat id, inquam, & centies etiam, si placet, repetat; nihil conficiet. Cum enim haec ratio, etiamsi vera concedatur, non probet licere exponere se probabili peccandi periculo, nec probet peccandi periculum in parte minus tuta, qualem hic accipimus, non esse probabile: jam non expungit argumentum, quod pro constituenda & demonstranda generali lege superius attulimus. Si porro stet certitudo generalis legis; quid Dissertatorem juvat, ea evidenti, uti putat, ratione particularis legis obligationem sustulisse? Nihil omnino. Id tantum fuit probare, nos in dubiis non teneri tutiorem partem sequi vi legis particularis incertae, sed vi legis certae generalis, quod ego non inficior.

Vide

Vide igitur, quo tandem evadat reflexum principium ab incertitudine legis ductum, si non probat nos non teneri tutiorem partem in dubiis sequi. Haec omnia, & reliqua, quae praeterea in hanc rem olim attulimus cap. 6. §. 1. siquis attente consi deret, si non omnino expunctum, ac demolitum judicet quartum principium reflexum a Dissertatore allatum, & probabile nihilominus illud sibi videatur; nihil magis laborandum mihi duxero, siquidem principium, quod solum probabile sit, vel probabilius, ad moralem certitudinem, quam in principio reflexo postulat Dissertator, minus idoneum convincitur.

§. VI.

Quinque alia principia evadicata.

Quinque alia reflexa principia, quae ille paucis affert sect. 3. eum imbecilliora sint multo, quam quae hactenus expressa sunt, leviori brachio sternemus. Primum ductum a Pontificibus, qui probabiles, vel, ut ille ait, minus probabiles sententias nonnumquam sequuti fuere, epistola superiori luculenter explosum est, ubi eos sententias sequutos prodidimus, quae ipsis erant plane persuasae, etsi extrinsece, atque objective minus probabiles haberentur. Num vero prudenter quasdam opiniones semper in factis secuti fuerint Pontifices, non est hujus loci definire. Alterum principium, quod ducitur ex eo, quod multis probabilior est sententia Probabilistarum, qui cum convicti de ea probabilius, possint illam docere, eamdem sequi pariter possunt, miror quod tamquam principium reflexum certum afferatur. Nam sive *ut probabilior* sententia Probabilistarum ita sumitur, ut non excludat probabilitatem sententiae oppositae; & tum etiam per Disser-

& gravia item suppetunt argumenta, quae cum a prudenti homine contemni nequeant, hunc, si prudenter agere velit, dubitare compellunt. Vide quae in hanc rem ipse Dissertator scripsit in probatione thesis secundae diss. 2. Verba autem ejus retulimus epist. II. §. 1. Quomodo autem idem nunc, nisi sibi plane contrarius, probabilitatem sequentibus tantam prudentiam attribuit, ut praescindens ab omni alio principio reflexo moraliter certo, prudentem affirmet hominem, qui probabilem, vel minus probabilem etiam sententiam sequitur? Quod si hic quoque probabilitatem cum aliis principiis reflexis conjunctam appellat; quid hocce tertium principium veluti ab aliis distinctum inculcat? Sed proferat prius principia ejusmodi, & postea hocce argumentum urgeat.

Quartum principium, quod ille sumit ab intolerabili jugo iis imposito, qui tutiorem, vel probabiliorem sententiam sequi coguntur, non video inprimis, qua ratione inter principia honestae operationis recenseri queat. Si enim cum quid difficultatem gravem inicit, quae pluribus intoleranda videtur, continuo liceret inferre tamquam ex principio certo, id, quod tantam difficultatem habet, procul dubio in praeceptio non esse; jam nec concupiscentias crucifigere, nec vim sibi inferre, nec viam arctam ingredi, ut ad caelum perveniatur, nobis esset opus; haec enim haud dubie cum tanta difficultate conjuncta sunt, ut quamplurimis intoleranda videantur. Itaque illud minus recte cooptatur inter certa principia, unde dignosci possit, quid liceat, quidve non liceat: sed ad hanc cognitionem aliis principiis nos uti oportet. Cum ergo nullo hactenus ex principio certo statuta sit doctrina probabilitatis, quid practica difficultas nostrae sententiae tamquam principium ejusmodi inculcatur? Dein nimis effertur haec difficultas, qua pusillis terror

ini-

initiatur. Decem & sex effluxerunt saecula, in quibus nulla alia quam nostra sententia in Ecclesia obtinuit, ut in Dissertatione historica patebit; & nemo tam intolerabile onus conquestus est. Da hominem intelligentem, & amantem veritatem, ac Deum; & is cum nihil rationabilius esse perspiciet, quam in periculo gravi laedendi Deum sequi eam partem tutiorem, quae ejusmodi periculo caret; tum vero eodem Deo opitulante omnem in eo difficultatem facile abs se superari fatebitur. Sed vereor ne Probabilistae cum contraria tradunt, iis hominibus favere velint, qui cum nec veritatem, nec Deum ex animo diligant, intolerabilia sibi fingunt divina, ac naturalia praecepta, queis se obligati nollent.

Quintum & extremum principium a Dissertatore allatum ex probabilioribus fundamentis doctrinae probabilis, cum eodem recidat, ac principium secundum, ex dictis contra illud, illud quoque satis expunctum invenies. De singulis principiis hactenus.

§. VII.

Concluditur paucis, & nonnulla Dissertatoris dogmata ex probabilitate consequentia recitantur.

Si vero novem reflexa principia, quae Dissertator attulit, vel perperam accenseantur per se inter principia, cum alia praesupponant; vel inania sint prorsus & imbecillia, aut saltem haud profecto sint ita certa moraliter, ut principium reflexum ex ipsius Dissertatoris mente flagitaret; jam vides quo devenerit ea magnifica illius pollicitatio, quam secunda in dissertatione pluries ingessit, spondens se dissertatione 3. producturum plura principia reflexa certa, queis pateret non esse praecepti illud axioma: *In dubiis tutior*

pars

pars est eligenda: & simul ostenderet, ejusmodi dubitationes, quae ex probabilitate opinionum utrinque probabilium enascuntur, prudenter posse practice deponi. Amphora coepit institui, sed currente rota urceus exit. Qui inani in solo aedificat, nonnisi caduca aedificet necesse est. Si porro Dissertatore non proferente ullum certum principium, quo certo constet, in dubiis, quae vel per illius confessionem exoriuntur inter opiniones utrinque probabiles, si nulla persuadeatur, in dubiis, inquam, licere sequi partem minus tutam; hoc tandem fateatur oportet, quod inde necessario sequitur, in iisdem dubiis tutiorem partem esse eligendam ex eo praecepto vitandi periculi peccandi, quod praeceptum idem Dissertator vel invitus alicubi confessus est; cum praesertim hoc peccandi periculum, quod inter opiniones utrinque probabiles emergit, ipso Dissertatore fatente potius proximum sit, quam remotum. Ergo tantum abest, ut alibi diximus, quod detur principium reflexum certum pro doctrina probabili, quin potius datur certum principium reflexum pro sententia nostra, atque ita datur, ut vel ipse adversarius sensim & invitus ad illud adstruendum nos quodammodo manuduxerit. Quid igitur pluribus laboremus?

Laborandum quidem nonnihil superesset, siquidem cepissem consilium refellendi eas conclusiones, quas ex statuta probabilitate deducit, quae latius rem porrigunt, & mirificis scholasticis aequivocationibus res apertissimas, dum explicare aggrediuntur, magis involvunt. Sed quando recisa radice, & trunco reliqui omnes rami corruant oportet, nolo sine necessitate tempus in hisce rebus conterere, nec te, amice, quem scio occupatissimum, pluribus distinere. Ut tamen paucis cognoscas Dissertatoris ingenium, quantum in probabilitatis finibus producendis liberrime excurrat, nonnulla indicare placet, quae docet sectione 7. cap. 2. ubi

ubi proponit multa, quae ex universa probabilitatis doctrina inferuntur *ad praxim utilia*. Docet satis esse ad licite agendum, siquis certus sit de practica probabilitate sententiae, quam sequi vult, quin teneatur investigare, an opposita sit probabilior: quo principio studium inveniendae veritatis, de quo ob probabilitatem inventam desperatur, si non omnino extinguitur, certe maxime retunditur. Docet praeterea licere sequi sententiam alienam contra propriam, etsi quis illam judicet non solum minus probabilem, sed etiam falsam. Docet licere nunc ex una, nunc ex opposita opinione agere, & alus item nunc ex una, nunc ax alia consilium dare, & in foro etiam poenitentiae respondere, etiamsi Theologus alteram veram putet, alteram falsam. Docet tandem, ut omittam reliqua in alus sectionibus abunde tradita, *licitum esse interroganti, si unius decisio non sit grata, alium, & alium adire, usque dum inveniat responsum sibi favorabilius*: & rationem addit, inquiens, *quia utitur jure suo, quod habet ad investigandum, num sit aliquis, qui eximat ab onere quod alii imponunt*. Neque dissimulabo moneri a Dissertatore, hac in re interroganti maxime cavendum, ne *loco Doctoris, & Theologi inveniat caecum, qui eum in foveam praecipitet*, & ne interrogans, casum per dolum exponat, ut faventem solutionem excipiat, quo casu a gravi culpa hominem non liberatum iri affirmat: sed mox subdit. *Si interrogans sincere exponat casum, ejusque circumstantias omnes, & adeat viros probatae auctoritatis, idest pios, & doctos, de quibus dubitari prudenter nequeat, quin daturi sint responsum ex rationibus gravibus*, (idest ex probabilitatis doctrina) *iterum dico illum non peccare, quia utitur jure suo*. Qui praejudiciis doctrinae probabilis intellectum non habet impeditum, atque transversum, sed ad rectae rationis lumen apertum, uti est tuum, Amice carissime, fieri nequit, quin haec legens perhorrescat. Hic gradum sisto, & tertiae epi-

stolae

ſtolae finem impono, pauca propediem ad te daturus de quarta diſſertatione, cum primum eam habere potero, quippe brevem illam audio futuram. Vale.

EPISTOLA QUARTA
SEU
CENSURA
QUARTAE DISSERTATIONIS INSCRIPTAE
DE DOCTRINIS ANONYMI.

UT primum ſerius traditam legi quartam diſſertationem, quae *de doctrinis Anonymi* inſcribitur, aliquandiu dubitavi, num ea fuſe impugnanda mihi eſſet, nec ne. Cum enim propoſitum ejus ſit ſingula *Reſponſionis* capita refellere, ad ipſius evidentem. & cumulatiſſimam impugnationem illud videbatur maxime pertinere, ſi ſingulis ejuſdem argumentis de verbo ad verbum exſcriptis idoneam confutationem ſubiicerem; quod facillimum fuiſſet exequi, ſiquidem ibidem Diſſertator & principiis inanibus, & ſcholaſticis diſtinctiunculis, & ſuppoſitionibus, ut vocant, falſis ac repetitis (quae omnia ex dictis ſuperius liquido detegere liceret) apertam veritatem involvit atque perturbat. At id ſi aggrederer, verebar, ne vel exilis ipſe eſſem, qui tam exilia argumenta tanto conatu refutarem; vel faſtidium tibi, Amice, parerem, ac ſimilibus tui, quibus ſatis eſt quaedam praecipua capita

cognoscere, ut ceterorum argumentorum falsitas deprehendatur. Omnia itaque Dissertatoris argumenta, quae urget adversum me, & de quibus aliquid hic animadvertere placet, ad haec duo potissimum referuntur. Primo ad eam suppositionem falsissimam, quam ex constitutis epistola superiore luculenter prostravimus atque contrivimus, nimirum quod dentur principia reflexa certa, queis dubium ex probabilitate utriusque sententiae insurgens prudenter deponatur; deinde ad illam vanissimam criminationem, qua me passim ille vellicat, cum Tutioristam me esse, non autem Probabilioristam, nec probabilismi solum, sed & probabiliorismi impugnatorem acerrimum comminiscitur.

§. I.

Ostenditur Dissertatorem haud ex aequo respondisse potissimo argumento expresso cap. 2. & 3. Responsionis.

ET de primo capite, ut inprimis dicam, Dissertator fuse impugnat illud argumentum, quo tota vertitur disputatio cap. 2. & 3. Responsionis, ubi ostendi, inter opiniones aeque probabiles dubitationem vel necessario enasci propter fundamenta directa utrinque aequalia, vel eam non posse abiici nisi imprudenter, sive abstrahendo animum a cogitatione argumentorum alterius sententiae, sive per principia reflexa doctrinae probabilis, quae cum vanissima sint, hominem prudentem nequaquam decent. Ad haec Dissertator multa primum dicit de dubio deponendo etiam per principia directa, ac si imperio voluntatis effici possit, ut intellectus benigniori sententiae assentiatur tamquam verae, etiam cum aeque vera appareret sententia tutior. Sed haec omnia cum eo tandem

rec-

recidant, ut concludatur, posse voluntatem praecipere, ut benignioris sententiae, quam ex affectu praeeligit, argumentis intellectus attendat diligentius, ac evocetur ab argumentis sententiae tutioris (neque enim aliter id, quod Dissertator intendit, effici potest) haec, inquam, omnia nihil sunt contra me, qui similem rationem dubitationis deponendae non obscure innui cap. 3. Id autem pertinet ad eam concupiscentiam, de qua eo capite plura. Miror vero Dissertatorem me pungere atque perstringere, quod hanc concupiscentiam dixerim caussam hujusmodi assensus in partem benigniorem, idque ex ejusdem P. Segnerii verbis collegerim: cum vel ipse exemplum daturus ex experientia, quo probet identidem fieri, ut inter aequales sententias intellectus uni parti assentiatur, haec habeat. *Quod vero ad experientiam, haec ipsa est contra Anonymum, nam licet oppositae sententiae v. g. de divisibilitate, & indivisibilitate punctorum componentium continuum habeant pro, & contra se rationes aeque graves, utpote solutionis aeque difficilis; philosophi tamen passim in scriptis suis alteram alteri praeferunt, neque illa, quae praefertur, ipsis est probabilior ante, sed solum postquam eidem adhaeserunt, ex affectu scilicet, quo sententiam non amplius ut alienam, sed jam ut propriam respiciunt. Hoc palam fit, cum affectu illo deposito philosophi iidem ingenue fatentur, nihilo sibi difficilius fore oppositam sententiam tueri.* Quid, rogo, est ille affectus, quo quidam philosophi, hoc profecto nomine indigni (siquidem cum aequales sunt rationes & documenta, ex verae dialecticae regulis assensus cohibendus est, nec quicquam nisi imprudenter pronunciandum) unam sententiam, quam adoptarunt, tamquam probabiliorem tueri conantur? Hic procul dubio *affectus* concupiscentiae est omnino affinis, cum inde ejusmodi hominibus probabilior appareat alterutra opinio, quod illam per imprudentem electionem veluti sibi *propriam* defendendam suscepere. In

M 2 quae-

quaestionibus vero moralibus ea concupiscentia multo magis elucet, quippe quod non nisi haec hominem potest movere, ut assensum, quem ex aequali rationum pondere prudenter cohibere deberet, illi potius parti praebeat, quae humanis cupiditatibus favet, quam illi, quae displicet. Hic porro assensus sive in philosophica, sive in morali controversia utrinque aeque probabili non aliter enasci in nobis potest (proferat quis aliam rationem, si invenire liceat) quam evocando mentem a seria consideratione argumentorum partis oppositae, ut ne haec aeque afficientes intellectum, assensum necessario impediant, quod, quam sit imprudens, palam est omnibus.

Sed hoc praetermisso, Dissertator, qui ad honeste agendum moralem certitudinem postulat, hunc probabilem assensum a voluntate imperatum minus idoneum affirmat, ut quis ex eo honeste & tute operetur. Itaque tandem recurrit ad principia reflexa certa, cujusmodi plura abs se constituta dissertatione tertia ubique supponit, & hac suppositione omnia a me allata argumenta facile disicit. Cum vero isthaec principia singillatim evulsa fuerint epistola 3. quid multis opus est, immorer in refellendis singulis a Dissertatore allatis, si quidem hoc uno ictu cuncta succisa jacent?

§. I I.

Expungitur Dissertatoris criminatio, qua Responsionis auctorem tamquam Tutioristam vellicat. Quae sit hujus sententia, paucis iterum explicatur.

NUnc ad vanissimam criminationum venio. Cum Dissertator in suorum discipulorum odium atque horrorem meam sententiam inducturus, me tamquam Tutioristam traducit, atque perstringit; oportet non intel-

intelligat vel meam vel Probabilioristarum sententiam. In edito libello satis aperte declarasse mihi videor cap. 4. & iis etiam videor, qui nec praeoccupato, nec minus aequo in me animo illud caput legerunt, inter opiniones, quae utrinque controvertuntur probabiliter, non semper nos teneri tutiorem sequi, quod unum affirmant Tutioristae, sed posse nos sequi opiniones benigniores, siquidem prudenter persuadeantur, ut Probabilioristae docent. Ad hanc vero prudentem persuasionem postulavi quidem, ut eae probabiliores benignae sententiae, non aprehendantur oppugnari ab argumentis adhuc probabilibus & gravibus, sed ab iis, quae levia & improbabilia iudicentur quippe quod si gravia adhuc & probabilia videantur argumenta contrariae tutioris sententiae, prudentem hominem dubitare necesse sit; sin autem levia & improbabilia, vir prudens his contemptis tamquam inanibus scrupulis, iure probabiliori minus tutae sententiae assensum praebeat. At non proinde a Probabilioristarum sensu quicquam declinavi: siquidem non putavi opus esse, quod Dissertator perperam mihi impingit, seu potius quod ipse opus esse perperam censuit, nimirum ut inter opiniones utrinque probabiliter controversas earum argumenta semper appareant gravia & probabilia, quo posito semper sequenda esset pars tutior, uti tradunt Tutioristae; sed affirmavi cum P. Thyrso Gonzalez, & cum Card. de Laurea utique Probabilioristis, saepenumero evenire, ut per probabilitatis excessum in opinione benigna, quae sit valde probabilior, tutioris opinionis argumenta, quae aliis sunt gravia & probabilia, mihi vel alii cuipiam operaturo improbabilia iudicentur & levia, quo casu tutioris opinionis argumenta contemnere quis potest prudenter, & probabiliorem opinionem benignam tutissime amplecti eumdem posse cum Probabilioristis concessi. Improbabilem

ergo,

ergo, & levem eum pronunciavi videri oportere opinionem tutiorem, ut quis licite benigniorem sequatur, non id habui in animo, tum solum licere sequi benigniorem, cum opinio tutior habetur apud auctores improbabilis & levis (quae una est Tutioristarum sententia) sed cum illa ob excessum probabilitatis in opinione benigniore improbabilis, & levis mihi agenti judicatur. In hanc quoque rationem solum probabilissimam sententiam benigniorem posse nos sequi nonnumquam scripsi, probabilissimam, inquam, operantibus, non autem omnibus, nimirum non quatenus postulem, ut eae solae sententiae benignae possint excipi, quae inter auctores probabilissimae habentur, sed quae eodem probabilitatis excessu probabilissimae sunt operanti, idest ita probabiliores, ut oppositae tutiores sententiae eidem operanti improbabiles videantur. unde non diffiteor posse contingere, ut eaedem illae tutiores opiniones, quae multis creduntur probabiliores, vel probabilissimae, mihi aut aliis ea ratione improbabiles sint; ex quo fiet, ut in praxim deduci possint tamquam probabiliores moraliter, seu probabilissimae, contrariae sententiae benigniores, quae a non paucis minus probabiles censentur. Quod si addidi ad agendum prudenter requiri moralem certitudinem, non aliam certitudinem postulavi, quam quae a Probabilioristis ex probabiliori opinione multum excedente communiter sumitur. Haec mea sententia, quam satis potuisse colligi ex edita Responsione inde patet, quod Theologus auctor *Epistolae* ad me, seu contra me potius editae, non aliter me sentire inde intellexit; uti perspicue scribit pag. 103. Vide, quae in hanc rem luculenter tradidimus epist. 2. Legat nunc Dissertator cap. III. Responsionis, & in memoratam explicationem accipiens, quaecumque ibidem sunt scripta, desinat me inter Tutioristas cooptare, a quibus quam longissime absum,

sed

sed Probabilioristis adnumeret, qui non aliter ac nos suis in disputationibus pro sententia probabiliori adversus Probabilistas dimicarunt.

§. III.

Insigniores Probabilioristae eamdem sententiam docuisse demonstrantur.

SEd quoniam ex pluribus indiciis, quae Dissertator suae disputationi inspergit, apparet non obscure, illum haud recte assequutum Probabilioristarum doctrinam; ego ut palam faciam, ipsos fere non admisisse licitum sequi aliam opinionem probabiliorem, quam quae per excessum probabilitatis certitudinem gignit; eam vero sententiam probabiliorem, quae excedit modicum, habitam fuisse veluti dubiam; ego, inquam, ut palam haec faciam, nonnullos Probabilioristarum calculos afferre debeo. Nihil dicam de Gersone, de S. (1) Antonino, aliisque antiquis Scholasticis, qui expressis verbis moralem certitudinem postulantes, eamque collocantes in sententia probabiliori, non aliam probabiliorem sententiam potuerunt adstruere cum tanta certitudine conjunctam, quam quae ita excedit contrariam opinionem, ut haec *levibus, & scrupulosis* (sic enim saepius loquuti sunt, ut patet ex aliquot locis, quae protulimus in Responsione cap. 4.) argumentis innixa judicetur. Id patebit luculentius ex quamplurimis ipsorum testimoniis, quae fuse recitabuntur in dissertatione historica. Cedam modo, seu potius innuam loca insigniorum quorumdam Probabilioristarum, qui post enatam controversiam adversus probabilitatem ita strenue pugnarunt, ut ne in tutiorismi suspicionem umquam venerint. Inprimis Julius Mercorus, qui cum pluribus Doctoribus statuit parte prima

(1) Vide inter caeteros insigne testimonium cp. c. § 4. p. 55

ma art. 1. *certitudinem saltem moralem necessariam esse ad rectitudinem operationis*. Art. 15. ejusdem partis admittit quidem probabilitatem posse esse regulam morum, sed illam perinde explicat, ut pateat eam solam probabilitatem ab eo admitti, quae cum morali certitudine conjuncta est. Quin artic. 14. contendit Doctores veteres, qui probabiles sententias benigniores posse non sequi scripserunt, intelligendos *de probabilitate sententiae habentis moralem certitudinem*. In secunda porro parte art. 7. indicat satis patenter, hanc moralem certitudinem, quam probabilitati tribuit, sitam esse in magno excessu probabilitatis unius sententiae prae probabilitate alterius; qui excessus si non sit valde magnus, cum utraque sententia remaneat gravis atque probabilis, definit intellectum, etsi una sit altera probabilior, debere ambigere, nec posse prudenter probabiliori adhaerescere. quae est ipsissima nostra sententia. Recitandus esset totus articulus, sed brevitatis gratia haec duo testimonia satis sint. *Intellectus tunc est dubius, quando rationes ex utraque parte sunt aequales, vel una in probabilitate parum excedit*; in quam sententiam explicandam, legenda sunt ea, quae scripsit parte 2. art. 21. *Non solum non licere secundum S. Thomam sequi minus probabilem, affirmantem actum esse licitum in occursu probabilioris oppositae, sed etiam peccatum esse sequi magis probabilem* (idest, quae excedit modicum, & moraliter dubium inicit) *asserentem actum esse licitum, in occursu minus probabilis negantis actum esse licitum, quando ex illa minori probabilitate potest oriri aliqua dubitatio, sicut non potest non oriri, quia medium probabile semper aliquo modo urget*. E contra vero *pars minus probabilis*, inquit laudato art. 7. *si admodum excedatur in probabilitate a magis probabili, proprie non potest dici probabilis*; unde sequitur tum hominem prudenter posse assentiri opinioni probabiliori contemtis fundamentis sententiae oppositae, quae ipsi amplius probabilia non sunt.

Prosper Fagnanus in can. *Ne innitaris*, *de Constitutionibus*, moralem certitudinem adeo exigit ad agendum honeste, ut nonnumquam videatur nullam probabilitatem admittere. Nihilo tamen minus probabiliorem sententiam non excludit num 225. Sed ei majori probabilitati tantum certitudinem tribuit, quae *vehemens* sit, seu quae alteri parti longe probabilius antefertur, & absolute judicatur vera. *Non tenemur*, inquit, *sequi opinionem tutiorem, quando opposita est verior, seu probabilior, quia tunc nulla modo versamur in dubio, sed flectimur ad illud extremum, quod probabilius judicamus, & sumus moraliter certi; nam opinio vehemens pro certitudine habetur.* Et paulo post numero 228. *In varietate igitur opinionum indistincte potest quilibet amplecti probabiliorem, dummodo tamen non habeat conscientiam opinionis oppositae, sed credat eam solam, quam sequitur, esse veram.*

Antonius Charlas Sacrae Theologiae Doctor, qui Romae edidit librum contra probabilitatem, ubi teste P. de Alpharo e Soc. Jes. Poenitentiario, ille *optimam caussam optime agit*, cap. 21. non aliud defendit, quam quod nos hactenus. Totum caput exscribere nimis esset longum. Mittam ceteros omnes, quos proferre possem, satis ratus, si adversus Dissertatoreme Societate aliquot Societatis. Theologos opposuero.

P. Thyrsus Gonzalez nonne tota dissertatione octava illud sibi constituendum sumit, *nemini licitum esse sequi sententiam faventem libertati adversus legem, quin post diligentem veritatis inquisitionem, citra passionem & culpam, appareat ipsi in actu primo, vel unice verisimilis, vel clare & sensibiliter verisimilior opposita stante pro lege adversus libertatem; & idcirco ab illa judicetur vera judicia absolute non fluctuante.* Est ipse titulus laudatae dissertationis. *Unice verisimilis*, seu, quod idem est, *unice probabilis* opinio ab eo explicatur dissert. 10. c. ult. num. 120. & simul affertur ratio, cur eam sequi possimus: *nam quando opinia minus tuta est unice probabilis, quia unice pro illa occurrunt fundamenta gravia, pro*

opposita autem nihil occurrit, vel solum occurrit ratio levis, quae ut improbabilis debet rejici: tunc judicium opinativum non inducit illam suspicionem & anxietatem; tunc enim securus quiescit operans, nec scrupulis pungitur, habetque moralem certitudinem, & magnam securitatem, tranquillitatem, & pacem conscientiae. Ibidem porro statuens de opinione *clare, & sensibiliter verisimiliori*, seu *probabiliori*, eodem illam refert, ac opinionem *unice verisimilem, seu unice probabilem*, addens: *Et ita communiter contingit in nostro casu, quoties motiva opinionis favorabilis clare praestant motivis oppositis, quae licet respective ad alios sint magna, parva tamen sunt respective ad operantem in iis circumstantiis.* Alibi porro affirmat omnes veteres, quotquot non fuerunt contenti *majori etiam probabilitate ad licitum usum opinionis minus tutae*, intelligendos esse, cum illa non ita excedit in probabilitate, ut gignat moralem certitudinem, quam optime distinguit in duos veluti gradus, ostenditque quatenus cohaerere possit cum opinione, licet aliquam formidinem logicam admixtam habeat. lege cap. 1. differt. 10. §. 1. num. 14.

P. Johannes Gisbertus Jesuita in opere, quod *l'Antiprobabilisme* Gallice inscribitur, Parisiis edito ann. 1703. opinionem probabiliorem minus tutam tunc solum approbat, si sit *considerable* considerabilis seu valde excedens; nam majorem probabilitatem unius opinionis, si non sit ejusmodi, considerandam judicat tamquam moraliter aequalem probabilitati oppositae opinionis minus probabilis, unde valere in eo casu censet regulam, *in dubiis tutior pars est eligenda.*

Pater Edmundus Simmonet in Institutionibus Theologicis tomo primo tract. 4. disp. 7. in qua Probabilistas acerrime impugnat, art. 6. haec habet. *Licet in operando sequi opinionem minus tutam, sive vera sit, sive falsa, quando post debitam veritatis inquisitionem clare & sensibiliter apparet nixa fundamento gravi, & notabiliter praeponderante momen-*

mentis oppositae sententiae tutioris &c. totus ille articulus eodem pertinet.

Tandem P. Paulus Gabriel Antoine t. 1. Theologiae moralis editae an. 1726. in tract *de Conscientia* c. 4. haec habet. *Quaeritur primo, an liceat sequi conscientiam probabilem, & minus tutam. Respondeo non licet, nisi probabilitas sit tanta, ut excludat omnem formidinem rationabilem falsitatis, & pariat certitudinem moralem saltem relativam* (nimirum operanti) *quia ut dicitur c. 2. q. 1 ad non peccandum requiritur judicium certum saltem certitudine morali, qua prudenter excludatur dubitatio, & peccati formido saltem rationabilis. Hinc non licet sequi conscientiam minus tutam, & minus, aut non magis probabilem, quam sit tutior opposita, ut constabit etiam ex mox dicendis. E contra licet sequi conscientiam unice probabilem, vel saltem longe probabiliorem opposita stante pro praecepto, non quidem quatenus est praecise probabilis, sed quatenus est tunc moraliter certa.*

Videsne Probabilioristas mecum similiter sentientes, eam tantum opinionem probabiliorem minus tutam tamquam regulam morum admittere, quae in probabilitate valde excedit tutiorem, quaeque moralem certitudinem in operante producit?

Sed quid ad Probabilioristarum testimonia provoco, si vel ipse Dissertator uno loco idipsum a plerisque Probabilioristis tradi apertissime profitetur? In thesi igitur tertia dissert. 2. in qua statuit, sufficere ad prudenter agendum moralem certitudinem, quae è principiis reflexis pendeat, ait: *Haec thesis est contra Tutioristas, & plerosque Probabilioristas requirentes in dictamine ipso directo vel certitudinem moralem stricte talem, vel talem excessum probabilitatis pro parte, quae eligitur ad praxim, ut omnis excludatur formido, & proxima sit certitudini morali.* Si hoc secundum membrum, quod postulat *talem excessum probabilitatis pro parte, quae eligitur ad praxim, ut omnis excludatur formido, & proxima sit certitudini morali*, ex ipsius Dissertatoris

confessione ad Probabilioristas spectat; qui me idipsum sentientem arguere tamquam Tutioristam potuit?

§. IV.

Quam iure moralis certitudo in sententia probabiliori postuletur ad agendum honeste. Grammaticalis observatio expuncta.

Sed forte me proinde reprehendit, quod non satis habeam probabilitatis excessum *morali certitudini proximum*, sed postulem *certitudinem moralem stricte talem*, quae ex ipsius mente ad solos Tutioristas pertinet. At in hoc multipliciter errat: primo quod non aliam certitudinem moralem efflagito, quam quae ex magno probabilitatis excessu proficiscitur, ut laudati Probabilioristae tradiderunt; deinde quod ejusmodi probabilitatem valde excedentem (1) putavit non gignere moralem certitudinem, qui tamen error vel ex ipsius verbis expunctus est latius epistola 2. paragrapho tertia pag. 51. Quomodo porro me reprehendere in eo potuit, quod probabilioritatem non gignentem certitudinem moralem haud sufficientem habui ad agendum prudenter, si ipse quoque dissert. 2. thesi 2. probavit *neque probabilitatem, neque probabilioritatem* sufficere; unde moralem certitudinem vel ipse necessariam confessus est? Ego itaque non aliud admisi, quam quod Dissertator; & solum in eo discrepamus inter nos, quod ipse eam moralem certitudinem ex reflexis principiis deducit, quae plura moraliter certa sibi visus est reperisse: ego vero, qui nulla ejusmodi vel reperisse me, vel ab eo fuisse reperta arbitror, ut docui epist. 3. ad directa principia moraliter certa confugio, & moralem

(1) Nisi forte, cum id putavit, intelligatur loquutus de Probabilitate, quae modicum praestat, quam tamen Probabiliorista perperam vindicat.

lem certitudinem in probabilitatis excessu satis apte invenio eum Gersone, Antonino, aliisque Probabilioristis, licet Dissertator, hac in re solum rigidus, perperam non invenerit. Ceterum si is certa non censeret ea principia reflexa, quae pro doctrina probabili attulit differt. 3. nonne vel ipse, ut starent, quae ab eodem constituta sunt thesi 2. differt. 2. principia directa certa exigeret? Quin rogatus a Probabiliorista, cui sane reflexa Probabilistarum principia haudquaquam certa, immo vero inania creduntur, rogatus, inquam, quae principia ex directis tute sequi debeat; nonne sibi constans responderet, haud satis esse probabilia, vel probabiliora; & nisi suppetant moraliter certa, tutiorem partem esse amplectendam? Et id respondens num detestandam Tutioristarum doctrinam, an potius doctrinam ad honeste agendum omnino necessariam se insinuare putaret? Quid ergo me in eo coarguit, quasi moralem certitudinem exigens per summum errorem in Tutiorismum impegerim?

Porro pusilla prorsus & grammaticali quadam animadversione Dissertatorem deceptum video, quod scilicet opinio, quae per excessum probabilitatis ita certa fit, ut altera opposita non amplius judicetur probabilis, probabilior, aut probabilissima dici nequeat, cum *et probabilior* contrariam supponat probabilem, & *probabilissima* inter probabiles non sit, quae contra se probabilem nullam habet. Quid est, Dissertator, quod hisce terminis captus, tantum adversum me cavillaris? Satis mihi est docuisse, Probabilioristas approbasse sententias probabiliores minus tutas, cum multum excedunt, easque per ipsos gignere eam moralem certitudinem, quae ad prudenter agendum requiritur, eam nimirum certitudinem moralem, quae, ut ait Thyrsus Gonzalez, excludit non omnem formidinem, sed prudentem dubitationem; satis, inquam, id mihi est,

ut

ut pateat me a Probabilioristarum doctrina nihil decedere, nec in Tutioristarum partes transire. Utrum porro sententia, quae ita est probabilior, recte adhuc dicatur opinio, nec ne; & utrum probabilior amplius dici jure possit, quaestio est de voce, quae ad rei substantiam nihil pertinet. Opinio appellari potest, teste eodem Thyrso, quod certitudo moralis non excludat eam formidinem, quae est opinionum propria; probabilior quoque potest, & debet appellari relate ad oppositam, sin quatenus haec apprehenditur ab homine, cui illa persuadetur, improbabilis, certe quatenus extrinsece apud alios probabilis habetur. Ceterum nonne scripsit S. Paulus, *melius est nubere, quam uri*, licet nubere certe sit bonum, uri autem sit certe malum? Nonne Augustinus in Donatistas scripsit, *Probabilius traditionem vobis objecimus*; licet ipse eis traditionem objecisset certe veram, illi autem Catholicis objecissent traditionem, quam improbabilem non solum, sed etiam falsissimam, & ab Apostolica traditione alienam judicabat? Plures sunt ejusmodi formulae in quotidiano usu loquendi. Dissertator ergo, qui ex voce *probabilior* argumentum deducit, ut aliquid videatur dicere, non minus est reprehendendus, quam illi Donatistae, qui ex voce *probabilius* in Augustinum argumentum retorserant. Sed his omissis, dum ego cum Probabilioristis re convenire, & a Tutioristis longe abesse ostendi; vanum erit quidquid ille, vel alius quispiam in vocibus praeter moralem loquendi consuetudinem cavillabitur. En, Amice, praecipua hallucinationum capita, quibus Dissertator in quarta dissertatione perpetuo fucum facit; quae si recte teneas, legere omnia poteris, & nihil uspiam offendes ad controversiae substantiam pertinens, quod non ipse per te facile expedias, atque dissolvas. Nihil nunc restat, quod ad praecipuum caput ejus caussae, quam suscepi, vindicandum necesse sit.

§. V.

§. V.

Mira Dissertatoris doctrina circa invincibilem ignorantiam Probabilistarum. Testimonium S. Thomae infeliciter explicatum. Locus ex Responsione non recte allatus, & pessime explosus.

AT si in aliis non paucis, quae praeterea Dissertator perperam urget, vellem aliquandiu immorari, alia multa dicenda superessent. Sed quando percensere singula nimis esset longum, omnia autem si praeterirem, illud a me gloriose potius, quam vere, seu etiam per magnam calumniam assertum videri posset; libet tria, quatuorve loca attingere, quae maxime consideranda videntur. Inprimis novum plane, quod de ignorantia Probabilistarum in quaestionibus utrinque probabilibus statuit. Concedit mihi ultro, ignorationem eorum errorum, in quos ipsi incurrunt secuti opiniones benigniores, potuisse quidem vinci per dubitationem, ac sequendo partem tutiorem; at alia via se subtrahens contendit, ejusmodi ignorantiam licet vincibilem, culpabilem tamen non esse, propterea quod errorem dubitando non teneamur superare, cum non obligemur in dubiis sequi, quod tutius est. Hic quoque supponit, quod est in quaestione. Sed praeterea cum semper hactenus judicatum fuerit, ignorantiam in rebus ad jus naturale pertinentibus non excusari a culpa, nisi sit invincibilis; novum Dissertatoris dogma est, posse fieri, ut quae erroris ignorantia in iisdem rebus non sit invincibilis, ea crimine nihilominus vacet. Interim adverte, quam jure suspicatus sim ep. 1. §. 1. praecipuum hocce caput de ignorantia errorum inter opiniones controversas idcirco intactum a Dissertatore dissertatione prima, quod nihil haberet, unde ejusmodi erroris ignorantiam invinci-

cibi-

cibilem ostenderet. En nunc fatetur vincibilem, sed inaudita quadam ratione inculpabilem probare nititur, seu potius sine ulla probatione affirmare non veretur.

Miram porro Dissertatoris rationem in interpretandis testimoniis, quae a me contra P. Segnerium allata sunt, ex uno textu licebit conjicere. Celebrem S. Thomae locum ex quodlibetis, quem ego pluribus animadversionibus objeceram cap. 2. Dissertator integra sectione 2. capite primo fuse exponere aggreditur. Molestum esset singula refellere; haec potiora indicare sufficiat. Primo supponit S. Thomam ibidem semper loqui de opinionibus non solum utrinque probabilibus, sed quae probabiles etiam operanti judicentur; cum ille in objectione aperte loquatur de homine, qui adhibita licet diligentia, *non invenit aliquid, quod eum moveat ad hoc, quod sit illicitum*: idest cui benigna opinio ita probabilius persuadetur, ut contrariam opinionem levem, seu improbabilem judicet. De hujusmodi quoque homine intelligenda sunt illa, *vel ex contrarietate opinionum in nullam dubitationem inducitur*. Igitur perperam Dissertator contendit, hoc loci sermonem esse de homine, qui inter probabiles opiniones non dubitat, seu qui practicam dubitationem non induit; neque enim probabiles sunt contrariae illae opiniones hominis, *qui non invenit aliquid, quod eum moveat ad hoc, quod sit illicitum*. Secus pugnaret secum S. Doctor, qui alibi aperte prodidit, ex motivis aequalibus, aut fere aequalibus dubitationem enasci. Male ergo ex hoc textu ille sibi colligere visus est, jure P. Segnerium hocce testimonium adduxisse, ut probaret, inter opiniones aeque probabiles dubium non necessario consurgere, vel practice posse non induci. Secundo exponens S. Doctoris decisionem, affirmare non erubuit, duo ab eo dici, *quae prout jacent, tamquam vera nullatenus admitti possunt*.

Pri-

